77
F
73

7
M-D
13

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
10 MH
36


Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7-M-D-13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Bibliothe[cae] Secr.
Coll. Rom. Soc. Jesu

Admodũ R^do P. Carolo Sangrio Jo: Gul' Calau.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Ill.^{mis} Viris

PAVLO RAVDENSI

REGIO SENATORI,

MARCHIONI IO. MARIÆ,

&

COMITI ANTONIO

VICECOMITIBVS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Hieronymus Pandulphus Malateſta Felicn.

HISTORIÆ Mediolanenſis, Viri Ill.^{mi}, a Triſtano Calcho ante annos amplius centum, & viginti conſcriptæ EPITOMEN vobis authoribus nuper non incurioſè confectam, ipſiſque Hiſtoriæ mei typis excuſæ per

Digitized by Google

libros ſingulos præfixam, ſeorſim quoq. in exiguum hoc volumen recudendam iudicaui; tametſi non defuerint ex amicis, qui meum hoc conſilium magnopere improbarent. Monebant illi librorum SVMMAS (ſi quidem id agunt, quod profitentur) nullius eſſe frugis; quòd eas docti non attingant, non aſſequantur indocti. illi quia rerum impleri notitia cupiunt, non adſpergi: hi quia rem parcius etiam, quam dicatur, intelligunt. Nec niſi per antiphraſim dici COMPENDIA, quæ re vera ſunt otij, ac ſtudiorum diſpendia tam certa, quam certum eſt, neminem diſcendo magis cunctari, quam qui ita legit ſemper, vt acuratius olim putet relegendum. Et diſſertationũ quidem, quibus humanarum, diuinarumq. rerum ſcientia continetur SVMMAS vtcumq. legi vtiliter poſſe, ab ijs ſcilicet, qui quod ſtudio breuitatis pretermiſſum eſt eius, quæ in rebus ipſis hæret, veri-

tatis

tatis præſtantioris ingenij acie poſſunt ex ſe ſe perſpicere: hiſtoriæ vero EPITOMEN nullo fructu percurri; cum, quidquid in ea ſcriptum eſt, longè minus ſit, quam quod ipſa rerum geſtarum veritas habet; quæ vero legentium coniecturæ relicta ſunt, cum minime in ipſarum rerum natura inſint, nec vno tantum modo geri potuerint, diuinare quis poſſit? & tamen eiuſmodi, quæ res circonſtant, vel præcedunt, vel ſubſequuntur, ſola non modo legendi, ſciendiq. voluptatẽ afferunt, ſed etiam rerum gerendarum prudentiam. Verumtamen ſuſceptum ſemel conſilium retinendum putaui vel ob id maxime, quod illud vobis placuiſſe intellexi. nec immerito ſanè placuit. eſt enim ſua quoq. hiſtoriæ decurtatæ commoditas, quæ ad curioſos pariter, incurioſosq. pertineat. Illos enim, qui integram iam auidius fortaſſe, ideoq. præproperè legerunt, magno temporis,

labo-

laborisq. compendio facile reuocat ad memoriam eorum, quæ forte exciderunt: hos, qui grandioribus voluminibus ægrè admouent manus, ipſa narrationis breuitas, & rerum geſtarum imago mutila, & obſcura, quaſi ſpecimen quoddam, dum legentis animum non ſatiat, irritat, ac prouocat ad pleniorem integræ narrationis voluptatẽ. Verum vtilitatis, ac laudis mihi abunde fuerit, ſi veſtra nomina, quæ ciuium omnium linguis extolluntur, ipſe meo prælo venerans premam ad eorum immortalitatem. æternum viuite.

TRI-

Digitized by Google

TRISTANI CALCHI MEDIOLANENSIS

LIBRI PRIMI HISTORIÆ PATRIÆ Epitome.

MVltitudinis innumerabilis Gallorum, quæ, quod patrio ſolo capi iam non poterat, Duce Belloueſo tranſcenſis Alpibus totam inter has, & Padum, ſuperumq. mare regionem occupauit, pars illa, quæ Ticinum inter, & Abduam pulſis Hetruſcis ſubſtitit, Inſubrium agrum pagi Heduorum cognominem nacta, omen-

Digitized by Google

*que ſequuta Vrbem condidit , quam vel
de ſue medio corpore lanata , Vel de pa-
Anno Mundi. go item apud Gallos cognomine Mediola-
3453. num appellauit. Poſt firmatas ſedes Ci-
Ante Chriſtũ. ſalpini omnes Galli cum Romanis ſæpius
600. Vario euentu pugnarunt : ſed eos tandem
3832. Romani capto, direptoq. Mediolano totius
gentis metropoli, & Cremona, Placentiaq.
Colonijs deductis ſubegerunt. Sed Anni-
3836. bale in Italiam aduentante ad eum deſi-
ciũnt; iterumq. aduerſus Romanos inſur-
3847. gunt; & Duce Amilcare Placentiam va-
3854. ſtant. Ad Cremonam ipſi magnam cla-
dem accipiunt; nec multo poſt aliam ad
Mincium ob Cænomanorum perfidiam.
& ſubinde ſubiectionis impatientes datis,
3859. & ſæpius acceptis cladibus Romanos fati-
3886. gant. Tandem poſt Bononiam, & Aqui-
leiam Colonias collocatas, Cimbroſq., &
3953. Teutones à Mario debellatos Romanis pa-
rent: fideq. in Marſico bello, & in Marij,
3965. Syllæq. diſcordijs probata, Ciuitate donan-
tur;*

Digitized by Google

tur; Italiaq. ad Alpes extenditur. Mortuo Sylla per M. Brutum Lepido adiunguntur: ſed mox ad Senatum per Cn. Pompeium traducuntur. qui, cum ab exercitu ſuo trucidatus fuiſſet Senatus Mediolanenſis, de facinoris authoribus callidè ſine turbis ſupplicium ſumpſit. Poſtea Iulius Cæſar Ciſalpinam Galliam præ omnibus prouincijs eligit: Comum à Rhetis vaſtatum, refectumque à Pompeio Strabone Nouocomo auget: & traiecturus in Africam aduerſus Catonem, & Scipionem Prouinciam M. Bruto ſuperioris filio, à quo poſtea interfectus fuit, commendat. qui integrè adeo illam adminiſtrauit, vt Statuam Mediolani in foro commeritus ſit: de qua poſtea Auguſtus Mediolani per iocum dixit, Mediolanenſes fidifragos ſuum apud ſe hoſtem habere. 3977.

Chriſtiana religio Mediolani per Barnabam primùm ſeritur, Anathalone primo Epiſcopo creato: deinde per Caium Anno Chriſti. 44.

huius ſucceſſorem, & Nazarium ſtrenuè
promouetur. Othoniano bello Ciſpadana
Municipia à Vitellio ſtant. Otho apud
Cremonam debellatur, ſponteq. moritur.
Paulo poſt Vitelliani à Flauianis ibidem
71. *cæduntur, & Cremona vaſtatur. Veſpa-*
ſianus Imperator ex Ciſpadana Italia oriũ-
dus. Domitiano Imperatore moritur Ca-
ius Epiſcopus: Chriſtiani metu perſecutio-
nis deliteſcunt ſine Paſtore: ſub Nerua
ſe produnt: Caſtritianum Epiſcopum di-
cunt, à quo primùm Philippi, tum Fau-
ſta, & Portianæ ædes dedicantur. Pli-
nius vterq. Comenſibus adiudicatur. Poſt
140. *Caſtritianum Kalimerus, Monas (à quo*
parrochiæ primùm Mediolani conſtitutæ
Mirocles, Maternus (qui primus facul-
tatem impetrat Chriſtianis palam agendi,
& docendi) ex ordine Mediolanenſem
eccleſiam adminiſtrant ſub varijs Cæſa-
ribus vſq. ad Conſtantinum. Alemanni
in Italiam irrumpentes à Claudio in Lu-

gana ſylua proteruntur. Aureliano Imp. Marcomanni Italiam Circumpadanam 272. *populantur; paulo poſt ab eodem prope Ticinum debellantur. Diocletianus, & Maximilianus Mediolani ſedent, & principio quidem in Chriſtianos bene affecti; poſtea ſæuiunt immaniſſimè. Sub ijs paſſi ſunt Alexander, Victor Maurus, Fidelis, Xantus, Carpophorus, Nabor, Felix, Firmus, Sebaſtianus Mediolanenſis. Mediolanum amplificatur, cingitur Mænibus, Palatium turribus augetur, columnæ, quæ ad D. Laurentij, eriguntur.*

EPITOME
Libri Secundi.

CONSTANTINVS Occidentis imperium, quo ſe Maximianus Socer abdicauerat, Conſtantius pater moriens exceſſerat, excipit apud Britannos degens. Sed, quòd à patre, non viuente re ipſa; ſed moriente per tabulas id acceperat, ceu vacante imperio varijs ducibus in eius ſe fortunæ ſpem erigentibus, ipſisquè Britanniæ, Galliarumq. ducibus rebellantibus; harum prouinciarum motibus ſedatis, fugientes in Italiam hoſtes inſequitur. Seguſij, & Taurini in apparatu belli vno impetu expugnat: Mediolani magno plauſu excipitur: vbi
312. Licinium Conſtantiæ ſororis coniugem, ac Cæſarem facit. Ad Brixiam contractas ab hoſtibus copias fugat aduentu. Verona vi, reliqua Italia deditione capta, ſuo imperat

imperat merito: per quæ tempora Mediolanenſi Eccleſiæ poſt Maternum Euſtorgius Græcus præfuit. Bizantium vrbem in inuidiam Romæ regiè ornatam de ſuo nomine Conſtantinopolim vocat, ſedemq. 330.
facit Imperij. Vita excedens tres filios Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtan- 337.
tem in Imperio relinquit: ſed tandem Conſtantius, mortuis fratribus, Magnentioq. debellato Mediolani imperat ſolus. 353.
Vbi Arianæ hereſi ſtudens, Concilio indi- 355.
cto, abutitur potentia in Epiſcoporum iudicijs corrumpendis, vt in Athanaſium ſubſcribant: ſed eam Euſebius Vercellenſis ſingulari arte peſſumdat. quamobrem ipſe, alijq. catholici Epiſcopi exilio mulctantur; quorum in numero fuit Dionyſius Mediolanenſis Epiſcopus. quo abſente Auxentius Arianus Epiſcopatum inuadit: quem mox hæreſis reum facit Hilarius; ſed ipſe damnatur exilio, in quo aduerſus Conſtantium ſcribit. Gallus Ma-

gni Conſtantini nepos, Iuliani frater, tàm ſæuus moribus, quàm pulcher adſpectu Cæſar dicitur à Conſtantio, Orientis adminiſtratione accepta; ſed quadriennio poſt, quòd in eius odium populi rebellabant, latronis in morem capite plectitur. Iulianus frater varijs criminibus accuſatus abſoluitur, & in Græcia liberalibus diſciplinis dat operam. interim Conſtantius cum Alemannis feliciter pugnat, Mediolanũq. reuertitur: quò Barbaris Gallias, Rhenumq. populantibus reuocatus Iulianus Cæſar appellatur, & Helena Conſtantij ſorore, vna cum Galliarum adminiſtratio-
355. ne accepta, in Alemannos immittitur. Coloniam Agrippinam ab illis vaſtatam inſtaurat; eoſdemq. apud Argentoratum memorabili conficit clade, Rege Chonodomaro capto, & in triumphum Romam ducto. Mediolani Auxentius ſæpè damnatus, Epiſcopum tamen gerit: Martinum Turonenſem, itemque Maurilium

patricium

*patricium Mediolanenſem, poſtea Ande-
gauenſem Epiſcopum, & Gaudentium
Eporedienſem ciuem, poſtea Epiſcopum
Nouarienſem finibus exigit. Conſtantius
Mediolano proficiſcitur in Illiricum contra
Sarmatas; mox in Aſiam contra Parthos,
ibiq. diem obit. Succedit Iulianus iam
apoſtata; hoc ſolum bonus Imperator, quòd* 361.
*breuis: diuinationum tàm ſtudioſus, quàm
infenſus Chriſti diuinitati, quam in expe-
ditione contra Parthos fulmine ictus rin-
gens agnoſcit. Iouianus Imperator ab exer-* 363.
*citu acclamatus Lucillianum ſocerum cum
exercitu mittit Mediolanum, vnde Gal-
licos contineat motus: ſed breui Lucillia-
nus militari ſeditione, Iouianus incerto ca-
ſu extinguitur. Valentinianus ex obſcuro
loco ad Imperium vocatus Valentem fra-
trem collegam adſciſcit. hic Conſtantino-
poli ſedet; ille Mediolani, vbi Diocles,* 364.
*& Diodorus occiſi ad Innocentes human-
tur: iubeturq. lex de appellatione ſuſci-
pienda:*

pienda : ratio annonæ curandæ reformatur. Alemanni, aliijq. Barbari debellati in Italiam deducuntur ad agrorum culturam.

369. Ambroſius Mediolanum mittitur Ciſalpinam adminiſtraturus. vbi Auxentio mortuo, vel eiecto, acclamatur Epiſcopus; fruſtraq. reſtitans Valentiniano approbante initiatur. Romam adit, inde Pannoniam. vbiq. miraculis claret. Valentinianus Gratiano, & Valentiniano filijs

375. Occidentis Imperium legat, quos Iuſtina mater Mediolani educat. Auguſtinus eo-

384. dem vocatus. dum Rhetoricam docet, Manichæam hæreſim ab Ambroſio dedocetur. Iuſtina Ambroſium multimodis vexat: Siritius Papa defendit. ille interim conſtans muſicam ad animorum ſolatium inter ſacra vſurpat, reliquis Occidentalibus imitantibus: Prothaſij, Geruaſijq. cor-

387. pora diuinitus indicata refodit, honeſtioreq. loco reponit, miraculis eam pompam illuſtrantibus.

ſtrantibus. Valente Orientis Imperatore 378.
vita functo Gothi, Alani, & Longobar-
di in Græciam, Aſiamque irrumpunt.
Maximus ab Helenæ ſtirpe Occidentis
Imperiũ armis vindicat. Gratianus Theo-
doſio prius Imperatore creato, Valentiq.
in Oriente ſubrogato, ei occurrens ſuorum,
& hoſtium proditione occiditur. ad eius
cadauer obtinendum, pacemq. concilian-
dam Ambroſius à Valentiniano Legatus, 387.
nihil conſequitur. Maximo in Italiam
mouente Valentinianus Mediolano cedit.
Theodoſius, debellato Maximo, Valenti- 388.
nianum Regno reſtituit Mediolani, vbi
ab Ambroſio ob Theſſalonicenſem cædem
vehementer obiurgatus, Templiq. aditu
prohibitus, ſed poſt diuturnam pæniten-
tiam Sacris reſtitutus, Lege cauet, vti
deinceps durius imperata triginta dies in
tabulis habeantur, tanquam gladius in
vagina reconditus. Symmachus idolola-
triæ aſſertor Roma Mediolanum adit Va-

lenti-

Digitized by Google

lentinianum pro ara Victoriæ, & Veſtalibus virginibus reſtituendis: ſed Ambroſio perorante repulſam patitur. Valentinianus ab Arbogaſte, & Eugenio Præfectis ſuffocatur; Italia circumpadana vaſtatur; ara Victoriæ reſtituitur, cæremoniarum ſumptus ſuppeditantur: Ambroſius Mediolano ſecedit; extinctum reuocat ad vitam: ſed poſtea redux Theodoſio victoriam de ijſdem gratulatur. eidem poſt Honorium Mediolani, Italiæ Principem datum, alterumq. concilium
397. *aduerſus Arianos celebratum vita functo panegyrim dicit.*

EPI-

EPITOME
Libri III.

STILICO ex Scytharum, vel Vandalorũ gente humili loco natus; ſed ob militarem virtutem ſummo à Theodoſio habitus, Serenam ex fratris ſtirpe ab ipſo adoptatam in matrimonium accipit, vna cum Orientalis, & Occidentalis militiæ magiſterio, vtriusq. Imperij procuratione, iuniorumque Cæſarum Arcadij, & Honorij tutela.

Ambroſius migrat e vita, cui Simplicianus ſubrogatur, vir adeo Sanctus, vt ſtatim ab obitu in beatorum numerum à populo relatus ſit. Poſt Simplicianum Venerius, Marolus, Martinianus, Clicerius ex ordine Mediolanenſi eccleſiæ præfuere.

Stilico filiam Mariam Honorio matri- 398.
monio iungit Mediolani: vnde mox in

Græciam

Græciam mouet aduerſus Ruffinum ſuæ gloriæ, ac potentiæ æmulatione Imperium perturbantem, eumq. ſuorum proditione facile victum pari crudelitate, atq. ignominia necat. Mediolanum ad Honorium reuerſus in Gildonem in Africa rebellantem immiſſus, breui opprimit. Subinde Grotunnos tranſmiſſo Dannubio Romanas prouincias populantes internecione delet.
400. *Non multo poſt Gothi Radagayſo, & Alarico Ducibus reliqua cis Dannubium Romana ditione occupata, Italiæ ſe inferunt. Per Apulos, Calabrosq. in Campaniam effuſi, Roma, quam Itali proceres tuebantur præterita, Radagayſus Hetruriam inuadit: Florentiam diu obſidet; ſed Ambroſio per ſomnium deditionem diſſuadente, & poſteræ diei victoriam ciuibus pollicente, eorundem eruptione victus, captusq. occiditur. Alaricus ad Pollentiam cum*
402. *Stilicone congreſſus, poſt ingentem vtrinq. cædem patratam, in Veronenſium agrum*

euadit

Digitized by Google

euadit incolumis. Sed quòd fidem pacis, ac fœderis datam non præſtitit, propè Abduam altero prælio debellatur. Ab hac 404.
victoria Honorius cum Stilicone, eiusque filio Eucherio Romã immigrat propè triumphans. Serena vero Mediolani ædem S. Nazario ſacram marmore ſternendam curat, illuſtris victoriæ anathema. Poſt hæc Alanis, Gothis, Vandalis, alijsque 407. & ſequ.
Barbaris alias Europæ, Africæq. prouincias populantibus, Stilico cum Eucherio filio ab exercitu annuente Honorio trucidatur; quòd tandem ad ſuæ gentis perfidiam relapſus, vt imperij continuandi occaſionem haberet, elabi Alaricum, Barbaroſq. graſſari paſſus eſſet. Sed eius tamen morte Romanum labare cæpit Imperium; fidemq. facere Vectij Mathematici diuinationi, qui ſub id tempus, duodecimo ſcilicet ſeculo, caſurum, ex duodecim vulturibus, qui Romulo Vrbem auſpicanti viſi fuerant, coniecit. Honorius Tertio poſt S.

Hiero-

420. Hieronymum anno vita excedens Imperiũ
423. legat ſororis filio Valentiniano tertio huius nominis Imperatori. Hic Ardaburis opera primùm Craſtinum conſulem ex vlteriore Gallia capeſſentem Imperium ad Vercellas profligat: deinde Hunnos, alioſque Barbaros Italia ſubmouet, Vandalis pace conciliatis: poſtremo Conſtantinopolim profectus, à Theodoſio Iuniore, qui poſt Arcadium Orienti imperabat, Eudoxiam
437. patruelis Theodoſij filiam accipit vxorem. Hoc Italiæ imperante, ſub obitum Theo-
450. doſij, Marcianiq. ſucceſſoris principium, Attila Hunnorum Rex ingenti cum exercitu Barbarorum primò Germaniam, tùm
451. Gallias flagellat immaniſſimè; ſed Aëtio Valentiniani Duce, ac Theodorico Viſigothorum Rege conſpirantibus, ingenti clade accepta in Pannoniam ſe recipit: vbi re-
452. paratis viribus in Italiam ſigna mouet infeſta: & Aquileiam, Patauium, Veronam cædibus, incendijſq. funeſtat. Nihilo

mittit

mitior Mediolanum ingreditur : vbi conſpicatus in pariete pictos ſuæ originis Scythas captiuos ad Romanorum Imperatorum pedes abiectos, accerſito pictore, commutare fortunas iuſſit, Romanis ad ſuos pedes ſaccos pane, auroque exonerantibus. Romam deinde contendenti ad Mincij, Padiq. coniugium à S. Leone Papa perſuaſum eſt, vti retro ſigna conuerteret. Attila excedente, parta Italiæ pax eſt. qua frui Valentiniano non licuit. ſuorum 455.
enim proditione interemptus eſt, Romano Imperio vix ſuperſtite. Auitus enim ſuſceptum in Gallia Imperium vix Placentiam vſq. detulit : Maiorianus auium rapacium ad aucupium inſtitutor, Rauennæ Cæſar ſalutatus, quadriennio poſt ad Scriuiam obtruncatus eſt : Anthemius Leonis Orientis Imperatoris Dux, & mox Occidentis Imperator à Ricimere Inſubriæ Præfecto, eodemq. genero non multo poſt bello victus occiditur : Auguſtulus in ſcenæ 472.

morem impoſitam ab Oreſte patre Imperatoriam perſonam, metu Odoacri ſtatim deponit. Odoacer enim cum Erulorum exercitu Italiam ingreſſus, oraq. Ciſpadana potitus, Oreſtem prope Laudem Pompeiam acie victum Ticinum concludit; captum mulctat capite; vrbem incendijs funditus vaſtat. Roma deinde, vniuerſaq. Italia potitus aduerſariorum publicat bona: ſed eum Theodoricus ab Orientis Im-
489. *peratore Zenone in Italiam miſſus, multis cladibus affectum Roma, Mediolano, omniq. Circumpadana ora exuit: Rauenna diu ſe tuentem ad regni ſocietatem admittit; tandemq. perfidiæ ſuſpectum interimit; ac Anaſtaſio Zenonis ſucceſſore*
493. *volente, iubenteq. in Italia ſolus regnat. Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum ad Gondubadum Burgundionum Regem legat, qui captiuos ex Subalpino agro transductos redimat, euentu feliciſſimo. Mediolanenſem Eccleſiam fouet; Theatrali-*

bus

bus muneribus, ædificijsq. priſcorum Imperatorum magnificentiam æquat: inter diſſidentes circa ſe Principes, omnes fœderibus, præcipuos affinitatibus ſibi coniunctos pacem conſtituit: ſed Eutharicum 515.
generum, regnique heredem adſciſcit.
Seuerini Boëtij, ac Symmachi nece ini- 526.
quiſſima numinis in ſe iras, mortemque eodem anno promeretur. poſt quem Athalaricus ex filia nepos ſub matris tutela regnat annos circiter decem: ſubinde Theo- 534.
datus. cum Romanorum Imperio conſuetudo quoque temporum ab Vrbe condita cenſendorum intercidit, & chronologia à Chriſto nato deduci cæpta eſt. IVSTI- 527.
NIANVS *interim Conſtantinopoli Imperium nactus, Belliſarium cum exercitu* 537.
in Italiam mittit. hoc Siciliam, Lucaniam, Calabros, Apulosque, denique Neapolim obtinente, Victigis Theodato à Gothis ſuffectus centum circiter pugnatorum millibus ex eadem gente Rauennam contractis,

Romam à Belliſario expugnatam obſidet : ſed Arimino ab eiuſdem ducibus capto, obſidione digreditur. qua occaſione Mediolanum miſſa ſunt auxilia, Mundila, & Fidele eius vrbis ciue ducibus, quæ
538. *Datius Epiſcopus Romam ad id munus legatus petierat. illi ad Ticinum commiſſo cum Gothis prælio, eos in vrbem compellunt, Mediolanumq. profecti propinquas vrbes obtinent deditione. ſed Victigis, Francis aduocatis, Vraia duce Mundilam Mediolano incluſum fame ad deditionem vrbis compellit, quam mox Gothi cæde, & incendijs multant. Belliſarius inte-*
541. *rim Victigem Rauennæ expugnatum cum regijs theſauris Conſtantinopolim in triumphum trahit. reliqui Gothi circa Padum, Caſtrum nouum ædificant, & Belliſario Italia digreſſo, ſub Idouado, Vitali Iuſtiniani duce acie victo, repetunt regnum,*
542. *quod Totilæ poſt Idouadum defertur : qui*
547. *numeroſo exercitu per Italiam effuſus, Ro-*
ma

Digitized by Google

ma potitur, quamdiu Narſes Italiæ Præfectus eum cum exercitu, Theiamque illi 553.
ſuffectum trucidat, & Gothos Italia tota 556.
ſubmouet. Iuſtiniani ducibus arma tractantibus, ipſe Leges, & Conſultorum reſponſa pacis præſidia in Iuris Ciuilis corpus conformat. Pandectarum archetypa Florentiæ magno in honore habentur.

EPITOME
Libri Quarti.

NARSES *Gothico Regno in Italia conciſo, Longobardicum non multo mitius excitat. calumniam apud Imperatorem paſſus, & Occidentis* 566.
præfectura contumelioſe abire ad lanificium iuſſus, Longobardorum in Pannonia Regem Alboinum ad paratiſſimum Italiæ regnum inuitat. Hic cum infinita 568.
ſuorum, ac Saxonum liberos etiam, ac

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

coniuges poſt ſe trahentium multitudinẽ ab Iulijs Alpibus in Venetas vrbes detonat: Taruiſium, Veronam, Vicentiam, aliaſq. præter Patauium, & Mantuam,
570. *primo impetu ſubigit. Mediolanum per Honoratum Archiepiſcopum in deditionem acceptum perfidè patitur diripi. Papiam*
573. *quadriennio obſeſſam tandem obtinet. per quæ tempora Mediolani Fronto, Honorato vita functo, Epiſcopatum pecunia male quæſitum, nihilo ſanctius adminiſtrat.*
569. *Longinus ab Imperatore, qui Narſeti ſuccederet miſſus, regia poteſtate quidem, à qua prouocatio non daretur, noua tamen appellatione Exarchæ, Rauennæ ſedet: Vnde ipſe, ac ceteri poſtea Exarchæ Vrbem cum aliqua Italiæ parte in Imperatoris fide, ac poteſtate habuere, Longobar-*
574. *do in reliqua latè dominante. Alboino per Peredeum à Roſimunda eius coniuge pudoris vſura conductum, quòd eam paterno in cranio bibere coegerat, ſublato, Cle-*

phonem

*phonem proceres ſubrogant : eoq. mox ob
ſæuitiam interempto, Aloin Mediolanũ, 576.
alij alias Italiæ Vrbes nomine Ducis, li-
bertatemque vindicant. Hac reipublicæ
forma, ſine religione, ac legibus Italiam in
fruſta diſcerptam decennium vexant : &
ex Gallia multa cæde patrata, prædas 577.
agunt ingentes. Deinde rurſus Regem
creant Anterim, & Cæſarum æmulatione 585.
Flauij prænomen adijciunt ad poſteros Re-
ges tranſiturum. Hic Brixellum, cuius 584.
Dux Droctulphus ad Exarchũ defecerat, 585.
mœnibus exuit : Francilionem Como pul-
ſum in Inſula Larij deditione captum ad
Exarchum ire permittit, eius gaza reten-
ta : Childebertum Francorum Regem à
Mauritio Imperatore in ſe concitatum
ſibi conciliat : & viciſſim Eoim Tridenti
Ducem in Mauritium extimulat, à quo
Iſtria incendijs, ac rapinis malè multa-
tur : Theodolindam Bauarorum Ducis fi-
liam in matrimonium per legatos petitam*

 ipſe

ipſe mentita legati perſona inuiſit, reuerſusq. in Italiam, Theodolinda non multo poſt ſubſequuta, nuptias Sardis magno procerum conuentu celebrat: Childeberto iterum in Italiam mouente cohibito, & Italia ad fretum vſq. Siculum victorijs
591. *peragrata, Papiæ veneno extinguitur. Theodolinda, proceribus acceptantibus in Regem quem ipſa coniugem deligeret, Agilulphum Taurinorum Ducem in Regnum aſſerit. qui Mediolani ferrea corona, quæ hodieque Modoëtiæ viſitur ac-*
592. *cepta, eundem vt morem poſteri Reges, ac Cæſares eodem delati vſurparent, effecit: Chriſtianam religionem amplectitur, imitantibus multis: S. Columbano Bobium cum latifundijs ad ampliſſimi cœnobij prouentus largitur: Patritio Exarcho propinquas Vrbi Ciuitates armis vindicante, Mauritionem Ducem ad Romanos transfugam Peruſiæ opprimit: ne ad Vrbem ſigna moueat Gregorius Magnus Theodo-*

lindæ

lindæ precibus impetrat: pacem cum Hunnorum, Francorumq. Regibus, & Exarcha Patritio init: quam quia Patritij ſucceſſor Gallicinus violat, filia, ac genero Rauennam abductis, eam iniuriam Agi- 602.
lulphus vlciſcitur multarum vrbium vaſtitate; quouſq. Smaragdus Gallicino ſuffectus, filia, generoq. reſtitutis, pacem impetrat, fœdusq. cum Phoca Imperatore 612.
ſancitur: Adaluadum adhuc impuberem ad regni ſocietatem admittit; quem, Agi- 615.
lulpho, & Theodolinda è vita digreſſis, 626.
proceres, ceu mentis impotem, regno amouent, Arioaldo promoto. Hunc ſequutus eſt Rotharicus magnum Arianorum colu- 638.
men: quippe binos in quamlibet diœceſim Epiſcopos Catholicum, & Arianum induxit: in hoc profecto iuſtitiæ prodigus, cui alioqui Longobardorum legibus ſcriptis con- 644.
ſuluit: Theodorum Calliopam Exarchum ad Panarum debellat: Liguriaq. in di- 647.
tionem redacta, ampliore in Regno Rodo- 654.

aldum

aldum ſilium relinquit. Huius coniux Gondiperga, Theodolindæ matris exemplo, Papiæ S. Ioanni Baptiſtæ tēplum ponit: adulterij inſimulatam miniſter, ſingulari certamine cum calumniatore, qui in eo cecidit, ſuſcepto, eius criminis ſuſpicione liberat; à quo dum non temperat Rex occiditur.

656. *Regnum excipit Aripertus baſilicæ Saluatoris Papienſis author. ſubinde Gondipertus, & Pertericus fratres. Sed Grimoaldus*

663. *Dux Beneuentanus ad illorum controuerſias componendas accerſitus, illo occiſo, hoc fuga ad Hunnos dilapſo, regnum induit, illorum ſorore in eius, ac tori ſocietatem admiſſa: cuius mox precibus Pertericus gratiæ, ac patriæ reſtituitur; ſed eum populi fauor in ſuſpicionem, & inſidias Regis rurſus adducit, quas vix ſingulari ſerui fide, & induſtria declinat. Grimoaldus Gallorum exercitum prope Aſtas de-*

663. *let: Conſtanti Imp. Heraclij nepoti cum exercitu occurrit, eumque Romam includit.*

dit. Lupum Foro Iulienſem Ducem, quem ad bellum proficiſcens Inſubriæ præfecerat, Regem perfidè gerentem per Cachanum vlciſcitur, Vecteri Vicentino Foro Iulij præfecto. Forum populi, & Opitergiã funditus vaſtat; ſacerdotibus etiam pro victimis ad aras mactatis. Fato illi imminente, Pertericus eius adhuc iram in Britanniam fugiens incognitæ originis voce Mediolanum reuocatur: & in itinere obuios habet nuncios regnum deferentes: quo reſumpto, Alhaim Tridenti Ducem 672.
in ſpem regni ſe erigentem comprimit, & pluribus baſilicis Saluatoris, S. Mariæ ad Perticas, & S. Agathæ Papiæ excitatis, Chuniperto filio regnum moriens legat. 689.
Intercipit Alhais ſanè ingratè; quippe eius olim gratia à Perterico victore benè acceptus, Brixiæq. adminiſtratione donatus: ſed, eius crudelitatem deteſtantibus proceribus, Chunipertus reſtituitur, Alhai propè Abduam profligato. Is Rodoaldum Foro

Iulij

Iulij Ducem ſouet, victo, & excæcato Antifrido eius aduerſario. Vinilindam ſororem Grimoaldo Beneuentano Duci in matrimonium collocat: denique Luitpertum filium moriens regni relinquit heredem: ſed is à Ragimberto ſemel acie victus regno, iterumq. ab Ariperto eius filio, ac ſucceſſore vita ſpoliatur. Idem Aripertus ſecuritati conſulens arcem in Inſula Larij munitam tutum rebellantibus Aſylum demolitur: Aſprandi filium Sigiprandum, à quo timeri aliquid poterat, excæcat; Luitprandum vero, quòd ſtolidioris mentis vulgo crederetur, viuere
704. *patitur: Cottias Alpes Romanæ Eccleſiæ reſtituit: quo fere tempore Papienſis Epiſcopus de poteſtate Mediolanenſis Archiepiſcopi Pontificis ſententia eximitur.*
712. *Aſprandus Aripertũ regno, ac vita exuit; acie victum in fuga Ticinus abſorbuit: illo vix tribus menſibus ſuperſtite, Luitprandus filius regnat. Qui cum Carolo I.*

amici-

amicitiam iniuit adeo, vt Carolus filium adhuc impubem Pipinum nomine cis alpes ad ipſum miſerit, vt capillo illi ſolemni 732.
more detonſo, religioſum quiddam (vt habebat illorum temporum opinio) neceſſitudinis accederet: S. Auguſtini corpus ex 725.
Sardinia Papiam deportandum curat eodem tempore, quo Saraceni primo Gallias tentant, ac repelluntur: Eiſdem maiore conatu irrumpentibus, vrbesq. aliquas obti- 730.
nentibus, auxilia ad Carolum mittit, quibus aduentantibus Saraceni diſcedunt. Carolo emigrante, ſuperſtites fuere duo filij 742.
Pipinus, & Carlomannus, qui poſt quadriennium monaſtica vita delectatus, integra omnia Pipino fecit. Ceterum Luitprandus anno 725. bellum aduerſus Romanos, & Exarchum aggreſſus, multos annos pugnauit vario euentu. Rauennam obſidione obtinuit, direptioniq. permiſit; quam Exarchus Venetorum auxilio recuperat: hoc tamen, vel potius Aiſtulpho

regnante,

regnante, finem accepit Exarchatus, & Orientis in Italia Imperium. Hildebrandum filium poſt ſe regem deſignauerat, viuensq. regni conſortem fecerat: proceribus, tamen ob triſte augurium repudiantibus Ratchiſium habet ſucceſſorem. 745. *Hoc vero ſe abdicante, regnat Aiſtulphus, qui* 750. *Rauennam aliasq. Exarchatus vrbes non paucas ferro, flammisque populatur: Romam quoq., ac Pontificem Stephanum II. vexat vſq. adeo, vt in Galliam ad Pipinum rogatum auxilia concedat. Ergo Pipinus Rex Galliæ paulo ante appellatus,* 752. *in Italiam mouet: & Aiſtulphum acie* 753. *victum, Ticiniq. obſeſſum ſpondere cogit, Romano ſe Pontifici ſatisfacturum. Sed Aiſtulphus fidem non præſtat. iterum igitur à Pipino Papiæ obſeſſus præſtiturum ſpondet, & moritur. Regnum excipit De-* 755. *ſiderius, cuius filiam Carolus II. Pipino ſuffectus vxorem ducit, & mox repudiat; & Deſiderium ipſum, quòd Pontificem*

oppri-

opprimeret, exercitu in Italiam traducto, Ticini captum cum ſuis omnibus in Gallias 774.
deportat: Regnumq. Longobardorum in Gallicum Imperium concedit; relicta non modica vulgaris linguæ corruptela.

EPITOME
Libri Quinti.

CAROLVS *ſæpius in Italiam reuertitur: ſemel ad Longo-* 776.
bardorũ reliquias conſumendas; iterum cum Vxore, ac 781.
filijs Pipino, & Ludouico; quos Romæ ab Adriano Pontifice ſacro fonte luſtrandos, Regesq., hunc Aquitaniæ, illum Italiæ dicendos curauit; tertium Adriani euocatione, qui Herigautum Be- 786.
neuentanũ bello agitari cupiebat: per quod tempus Mediolani Xenodochium infantiũ expoſitorum conſtitutum, ædesq. Sancti Ambroſij aucta cænobio eſt; poſtremum 800.
vt

vt Leonem Pontificem, qui à Romanis ma-
lè acceptus ad ſe confugerat, loco reſtitue-
ret: à quo eum ſuæ in Romanos Pontifices
obſeruantiæ fructum retulit, quod Ma-
801. gnus, & Imperator, & Cæſar appellatus
eſt. Eodem in Galliam reuertente, Itali-
cum, Gallicumq. ſolum ingenti tremore
concuſſum eſt: inibi verò deinceps ſeden-
tem Legati ab Rege Perſarum non ſemel
cum peregrinis muneribus conuenerunt, ho-
rologio præſertim horas pulſante valdè ope-
roſo, à quo reliqua poſtea extitere. ætate
iam deuexa, ſcripto teſtamento filium
Pipinum Italiæ Regem conſtituit: qui
maritimis aliquot contra Saracenos, &
Venetos prælijs feliciter geſtis, Mediolani
810. fato præpropero tollitur: demum pace cum
Michaele Orientis Imperatore firmata,
Bernardum Pipini filium Regem Italiæ,
Ludouicum verò pium, ſeu I. ſolum ex
tribus filijs ſuperſtitem Imperatorem dicit,
814. ac moritur; cubiculi ſupellectile Metropo-
litanis

litanis ſui Imperij Eccleſijs legata. quadriennio poſt Bernardus à Ludouico patruo, quòd eius in caput coniuraſſe diceretur, ſeu bello, ſeu dolo captus ſupplicio afficitur. nec à ſuis liberis ſecurior Ludouicus, quàm à fraternis fuit: illis enim vna cum Epiſcopis, & Proceribus conſpirantibus, Regno, ac libertate ſpoliatur: ſed vtriq. reſtitutus, filijſque in gratiam receptis, diem obit. Lothario totum ſibi imperium vindicante, Carolus, & Ludouicus fratres ius hereditarium bello proſequuntur: apud Fontanicum fraternis odijs tanta vtrinq. clade pugnatum eſt, vt Gallica virtus concidiſſe ſit viſa: certè externis hoſtibus deſtitit eſſe formidini. Regnum deinde fratres ita partiti ſunt, vt Carolo Occidentalem, Ludouico Orientalem Galliæ partem adeunte, Lothario Narbonenſis, & ea, quæ poſtea de eius nomine dicta eſt Lotharingia, vna cum Italia, & Imperatorijs inſignibus ceſſerit: quam totam

818.
833.
834.
840.
841.

C dictionem

Digitized by Google

dictionem anno imperij XV. tribus filijs
855. *partitur; & Lothario iuniori Lotharingia, Carolo Narbonenſi, Ludouico huius nominis Imperatori II. Italia cum Romani Imperij prærogatiua permiſſa, monaſticam vitam amplectitur. Ludouicus II. iunioris*
870. *Lotharij morte Lotharingiam adeptus cum Beneuentano Duce vna cum magna veteris Italiæ parte ad Græcum Imperatorem deficiente bellum gerit: Rauenna in deditionem accepta, Beneuenti obſidione digredi cogitur; nec multo poſt etiam vita. ergo Carolus II. frater, cognomento Caluus ad vrbem feſtinat, & Imperij inſignia*
877. *ab Ioanne VIII. accipit, quæ mox in tran-*
878. *ſitu Alpium cum vita deponit. excipit filius Ludouicus Balbus, eaq. ſequenti an-*
879. *no moriens Carlomanno filio relinquit.*
881. *triennio poſt Carolus Craſſus Ludouici fratris ſuperioris Caroli filius ex Germania in Italiam profectus, cum ipſam totam deditione, tum Imperatoris decora eiuſdem*
Pon-

Pontificis propēſſione accipit: Germaniamq. repetens Saracenos Galliam vaſtantes cum Carlomanno, & Ludouico Regibus ad pa- 882.
cem traducit, Normannia illis permiſſa, eorumq. Rege de ſacro fonte, quo etiam gens vniuerſa initiata eſt, ſuſcepto: Carlomanno vita excedente, Galliæ Regnum deferentibus Proceribus capeſſit; ſed trien- 885.
nio poſt inutilis ad res gerendas abijcitur, deſeriturq. ab omnibus; & rerum omnium inopia laborans magnum præbet fugientis fortunæ documentum. interim alijs gentibus Regem alium adſciſcentibus, Normanni, & Hungari latè ſe ſe in Galliam, Italiamq. effundunt. Vuido in Italia, exacto Berengario, imperat: ſed tandem Ar- 891.
nulphus Tranſmontanorum votis pridem ad Imperium vocatus, in Italiam profectus à Formoſo Pontifice coronatur Imperator, quo cum triennio poſt Carolorum progenies interijt. quare Itali Berengario 899.
infenſi, eo iterum ſubmoto, Ludouicum

Boſonis filium ad Imperium Italiæ eue-
901. *hunt, quod Berengarius, eo occiſo, tan-*
904. *dem occupat, & ad Henricum I. uſq. pro-*
919. *ducit, Andrea Carcano interim Mediola-*
nenſem Eccleſiam adminiſtrante.

EPITOME
Libri VI.

HVGO *Arelatenſis Comes ad*
Italiæ regnum, exacto Rodul-
925. *pho, euocatus, Mediolanenſi*
Eccleſiæ, quam Lothario filio
adhuc minori deſtinauerat ſponſam, Ar-
dericum Cottam annis iam grauem, tan-
quam exigui tẽporis paranymphum præ-
ficiendum curat: ſed ſpe falſus (etenim
duos, & viginti annos ſedit) eiusq. mor-
tem inſidijs conatus præuertere, optimo
Præſuli reconciliatur, & opima eius Ec-
cleſiæ prædia largitur: cui etiam poſtea
ab Athone Vercellenſi Epiſcopo Leuenti-
na.

Digitized by Google

na, & Blennia valles acceſſere. Papiæ Rex ſalutatus, quinquennio poſt Lotharium filium Regni participem facit. Arderico e viuis excedente, Manaſſe Arelatenſi, & Adelmano Menclotio (qui Baſilicæ S. Georgij ad puteum album a ſe poſitæ prædia largitus eſt, quæ nonniſi ad ſuæ familiæ cælibes peruenirent) Epiſcopatum; illo Regis; hoc populi ſtudio ambientibus, Mediolanenſis ſedes quinquennium vacat: donec Valpertus ſpecie ſequeſtris interueniens, vtroque vt iure litigioſo cederet perſuaſo, eandem occupet. Mortuo Lothario, regnum init Berengarius Longobardus vna cum Adalberto filio. Sed eum poſtea Otho Magnus Henrici filius, Italis proceribus euocantibus, ſuadente Valperto, allicienteq. coniugio Adhelegidæ Lotharij vxoris, in Italiam proficiſcens victum, Regnoque ſpoliatum, exilio cum vxore, ac liberis multat. Othone in Germaniam reuerſo, Adalbertus Re-

926.
931.
946.
964.

 ginam

ginam Adhelegidam in Italia relictam bello aggreditur: Atho Malaſpina defendit, & ab Othone reduce, pecunia, atq. agro abundè donatur. Demum Otho, filia in Italia Aledramo Montisferrati
967. Marchioni nuptui tradita, Viennam reuerſus, filium Othonem II. Imperatorem
968. dicit, & moritur. Is in Italiam profe-
973. ctus Theophaniam Orientalium Cæſarum ſobolem ducit: Mediolano digreſſus contra Saracenos Calabriam populantes, in po-
982. teſtatem hoſtium venit; ſed dolo ſtatim elabitur. Mediolani interim Landulphi Carcani Archiep. fratres, diuitijs, & potentia abutentes populari conſpiratione vrbe pelluntur, multa vtrinq. cæde patrata. Landulphus, ciuibus pacatis, cœnobium S. Celſi ædificat, ampliſq. prædijs ditat.
983. Othoni II. Romæ extincto ſuccedit Tertius ex Theophania genitus. hic Creſcẽtio Principatum, & Ioanne Græco Placentino Epiſcopo Pontificatum Romæ vindicantibus,

in

in Italiam a vero Pontifice Gregorio V. accerſitus, illum capite multat, hunc variè deluſum, naribus, atq. auribus mutilat: & à Gregorio ſedi reſtituto inungitur Imperator. Vxorem ex Theophaniæ matris genere ducturus, Arnulphum Arſagum Med. Archiep. ad Conſtantinopolitanum Imperatorem legat: forma eligendi deinceps Romanos Imperatores, quæ 996.
hodieq. retinetur, à Gregorio conſtituta, —
ſine liberis decedit. Longobardi proceres, 1002.
& Epiſcopi in Italia Arduinum; in Germania Electores Henricum Imperatorem 1003.
dicunt. Henricus Imperium in Italiam capeſſens ad Comum acie victus in Germaniam reflectitur: unde refectis viribus rediens, Arduino fugato, Longobardia potitur: Papiamque diutius reſtitantem multat incendio. Arduinus, comparatis in Subalpina nouis copijs, aliquandiu mouet lacertos: ſed tandem Henrico Romæ coronato, depoſito imperio, Monachum in 1004.
1005.

Cœnobio Fructeriæ profitetur. Henricus
1023. *contra Saracenos verſus, Capua illis, Græciſq. Troia ſubmotis, inter viuos connumerari deſijt. Per hæc tempora Humiliatorum ordo ex humilibus ſanè principijs, Italis ſcilicet apud Germanos exulibus, ſe ſe extulit: & diuerſarum legum Romanæ, Longobardæ, & Salichæ, ſeu Morganicæ profeſſione eiuſdem vrbis ciues diſtributi: Arnulphus Med. Archiep. Oldericum Aſtenſi Eccleſiæ ab Henrico præfectum, non niſi ſe iubente præeſſe, armis cogit: vita decedens ſucceſſorem habet Heribertum Antimiano oriundum; qui*
1024. *à Corrado Henrico ſuffecto, Laudenſem Epiſcopum conſtituendi ius obtinuit; quo etiam vſus eſt adeo, vt Laudenſes, quem ipſe deſignaſſet, admittere recuſantes, bello coegerit. Eidem Corrado Italos proceres adiunxit; & cis Alpes profecto coronam Mediolani impoſuit; & Romæ auguſtalia ſumenti, cum ipſe per ſe, vt moris*
erat,

erat, non poſſet, per alium præſto fuit: Rauennate Antiſtite qui id muneris inuaſerat, & Imperatoris recuſatione, & Synodali in poſterum ſanctione prohibito: deniq. Burgundiæ regnum adeuntem armis iuuit. cum vero in magna potentia, rebusq. admodum ſecundis in ſuſpicionem veniſſet dominationis, bellandum illi cum ciuibus fuit, & Corradus in Italiam euocandus; a quo tùm ipſe ſub cuſtodiam miſſus; tùm Mediolanenſis ciuitas, quæ iam illi fuga elapſo militabat, obſidione, & incendijs vexata eſt: donec Ambroſius Colonienſi Præſuli ſacra facienti viſus Imperatorem ingentibus minis deterruit. Quare Heriberto ſede deiecto, Italisq. Principibus ſacramento in Mediolanenſes armatis, Italia, & mox vita digreditur, Henrico filio Germaniæ Rege 1038.
pridem creato: qui pace Mediolanenſibus data, Italiam ingreſſus Gregorium VI. 1043.
Pontificatu exuit, Clemente II. ſubrogato, 1046.

a quo

Digitized by Google

1047. *a quo Imperator eo nomine II. inſignitur. Mediolani interim popularis ſeditio excitatur aduerſus milites, quæ tandem in nobiles conuerſa, eos vna cum Heriberto Archiep. Vrbe pulſos in patriæ obſidionem, oppugnationemq. armauit. ſed extincto*
1045. *tandem Heriberto, Cæſare intercedente, ſedatur: cuius etiam opera Guido Velates Mediolanenſem Epiſcopatum init. Henrico II. extincto, dum Henricus filius adhuc minor in matris tutela adoleſcit, Mediolanenſes tùm cum Papienſibus in Campo mortuo; tùm inter ſe ciuilibus odijs conflixere, Landulpho Cotta primùm, deinde Arembaldo fratre Archiepiſcopũ, totumq. Clericorum ordinem ſeditioſiſſimis ſermonibus, concionibusq. in populi, ac Romani Pontificis inuidiam adducentibus adeo, vt Sacerdotes à furente multitudine ſæpe non modo compilati, ſacris prohibiti, templis excluſi; ſed ad ipſas quoq. aras pulſati, cæſique ſint. ne ab Archiepiſcopo*

quidem

quidem manus abſtinuere: qui inſuper Mediolano abire; Romæ cauſam dicere; & tandem dignitate ſe abdicare malorum mole compulſus eſt. Seditionis quoq; authorum infelix exitus fuit. Landulphus vocem eccleſiaſticis maledicendo decoxit, pulmonibus tabe confectis: Arembaldus à populo ægerrimè ferente eccleſiæ ſuæ ritus expungi, minui dignitatem, iura labefactari, ſub concionem conciſus eſt: deniq. Arialdum, qui totum incendium excitauerat, fœdiſſima morte Nobiles tot ſacerdotum manibus litauere. Calamitoſiſſimarum autem contentionum (quòd ijs non ſemel Romanus Pontifex tùm à turbulentiſſimis hominibus appellatus, tum cupiditate accidendæ Mediolanenſium Antiſtitum poteſtatis per legatos interuenit) is ferè extitit fructus, ut clericorum mores non nihil caſtigarentur; & Mediolanenſis Eccleſia Cæſarum potentia minus confiſa Romano Pontifici (qui etiam per eadem

tempora

1060. *tempora in Alexandro II. Mediolano ex Badagiorum familia oriundo non Cæſaris, ſed Cardinalium ſuffragijs creari cœptus eſt) amplius ſubiaceret; illiq. demum Epiſcopi vbiq. terrarum legitimi haberentur, quos Romanus Pontifex præeſſe iuſſiſſet. Quare Gottofredus Caſtillioneus, qui Guidonis Archiepiſcopatu ſe abdicantis inſignibus ad Cæſarem delatis, cum eiſdem Mediolanum Archiepiſcopus ab eo appellatus redierat, a Pontifice anathemati ſubiectus eſt; & a populo repudiatus; & duce Arembaldo, primum vrbe, deinde Variſio pulſus, & Caſtillioni obſeſſus, donec ob immane vrbis incendium ciues obſidione digreſſi ſunt. Sed Arembaldo poſtea Athonem adoleſcentulũ non ſine Pontificis fauore Archiepiſcopum aſſerente, rem indignati ciues, hoc reiecto, Gottofredum depoſcũnt; interpoſito ſacramento, non alium ſe accepturos, quam quem Hen-*
1076. *ricus Imp. iuſſiſſet, quem iam Gregorius*

VII.

VII. hoſtem Eccleſiæ iudicatum iure eligendi Epiſcopos ſpoliauerat.

EPITOME
Libri VII.

HENRICVS *Imperator à Gregorio Pontifice exauthoratur; quod priſtino more, ipſo non annuente, Thealdum Caſtillioneum Mediolanenſi Eccleſiæ præfecerit: ſed poſtea* 1077.
tum ipſe pœnitens, ac ſupplex Canuſij reſtituitur; tum Mediolanenſes, qui Thealdo ſuſcepto Imperatori conſenſerant, per Pontificis Legatos expiantur. iterum infenſus Gregorio, illo abdicato, Guibertum Pontificem aſſerit. Thealdo Anſelmus à 1080.
Rhaude, Arnulphus ex Capitaneis, Anſelmus de Luino, Groſſolanus, Iordanus Cliuius, Henricus ex Capitaneis de Curte, Anſelmus Puſterla, & Robaldus ex ordine ſuccedunt. Expeditio in Palæſtinam mul-

multorum votis dudum expetita, tandem in Placentina Synodo ſtabilita; terra Go-
1095. *difredo, Balduino, Boemundo, Tancredo, & alijs; mariq. Raſcherio, Ingone, Obertiſque ducibus, ſuſcipitur: Mediolanenſi Archiepiſcopo Anſelmo à Rhaude, ac populo eam ſtrenuè adiuuante. Antiochiæ*
1098. *Boemundus primùm, poſtea Tancredus; Hieroſolymis Godifredus, deinde Baldui-*
1095. *nus regnant. Papienſis Epiſcopi dignitas amplificatur; Rauennatis ditio acciditur.*
1105.
1106. *Mediolani Caſti, & Polymij corpora, aliæq. ſacræ reliquiæ comperiuntur, dieſq. feſtus ſub appellatione Agios illarum cultui decernitur. Laus Pompeia à Mediolanenſibus funditus excinditur, ac duris*
1111. *legibus multatur. Henricus Imperator naturæ concedit: ſuccedit Lotharius, ac Me-*
1123. *diolani coronatur. quòd Comenſes Landulphum Carcanum, quem illis Epiſcopum dederat Cæſar, vrbe pulſum tandem necauerant, Mediolanenſes diuturnum, ac*
fortuna

fortuna variumbellum aduerſus ipſos gerunt; adiuuantibusq. oppidis Como finitimis, & ſocijs ciuitatibus, ipſum tandem expugnant, & mœnibus ex parte 1127.
nudato parcunt. Innocentius Pontifex Vrbe excedit ob ſchiſma Petri Leonis. ex 1130.
itinere in Galliam Syrum Epiſcopum Genuenſem aſſerit; in reditu Archiepiſcopum facit: eaq. occaſione Bobienſe oppidum 1136.
vrbem dicit. Cœnobium Clareuallenſe ad Mediolanum à S. Bernardo excitatur. Guido Vicecomes Maſſini Abbas conſti- 1134.
tuitur à Guarnerio Conſtantienſi, & finitimorum aliquot oppidorũ ditione ab Imperatore donatur. Lotharium excipit Con- 1142. 1138.
radus II. is, qui Genuenſibus monetæ cudendæ poteſtatem fecit. eiſdem Pontifex annuum tributum condonat. Nouæ ex- 1143.
peditiones duæ ſuſcipiuntur ab Italis, altera in Palæſtinam, in qua Martinus, 1147.
altera in Bethicam, in qua Vbertus Turriani enituerunt.

EPI-

EPITOME
Libri VIII.

1152. *POST Conradum imperat fratris filius Sueuorũ Dux Fridericus I Ænobarbus, famam ex Mediolani vaſtitate, & reliquæ Italiæ malis nactus. Conſtantiæ conuentũ Principum celebrantem Laudenſes duo nulla*
1153. *publica authoritate interpellauere pro patria vim à Mediolanenſibus paſſa: & vindices litteras, ac legatum ad eoſdem impetrauere. Is Laudem delatus, tametſi ciues metu grauiorum iniuriarum, intentatam volebant legationem; Mediolanum profectus eſt, vbi cùm Cæſaris litteræ contumelioſè acceptæ ſunt; tùm ipſe ſummum in diſcrimen adductus. Mediolanenſes clade per idem tempus ad Verruculam à Papienſibus accepta mitiores facti, Cæſarem legatione,*

tione, ac muneribus ſibi reconciliare conantur: ſed is tamen Laudenſium, aliarumq. finitimarum Vrbium querimonijs valde permotus in Italiam per Taurinas Alpes cum exercitu proficiſcitur. 1154.
Germanos, qui euocauerant, primi ſuis oppidis excepere Laudenſes: moxq. hoſtes ſenſere, cum à Placentino Vico totius ditionis opibus diuite eorum impetũ ægrè propulſauere. Cæſar interim Roncaliæ Placentiam inter, & Cremonam Mediolanenſium Legatos admittit. & poſt fidem ſibi à Laudenſibus annuente Mediolanenſi Senatu ſacramento obligatam, trans Ticinum mouet, commeatu Mediolanenſibus imperato: cuius difficultatem Germanus miles Landriani, ac Roſati vaſtatione vlciſcitur. Nouariam progreſſus Fridericus, cum ea vrbe, ac Papia fœdus init: Ligurum oratores audit: Mediolanenſium verò, ametſi pactam in Roncalia pecuniam

repræſentantes, omni reſciſſo fœdere non ſine obiurgatione ab ſe reijcit denuncians, Velle ſe Laudenſem, Comenſemque ab ipſorum poteſtate exemptum ſibi vni parere. mox Galiatum, ac Trecatum in poteſtatem redacta mœnibus nudat. Traiecto Pado Montisferrati Marchione
1155. authore Aſtam expugnat; eiuſdemque ditioni adiungit. Inde Derthonam apud ſe à Papienſibus poſtulatam, cum Mediolanenſium fulta præſidio cauſam dicere detrectaret, inuadit: & , quamquam certis conditionibus in deditionem acceptam, perfidè patitur diripi, flammisque vaſtari: tum Papienſibus dono dat vltra incendium, & interitum ſæuituris. Non multo poſt ab auxiliaribus Mediolanenſibus in propinquo opportunitatem captantibus recuperata reficitur, Senatu primùm improbante, diſceſſionemq. imperante: deinde proſperæ fortunæ, ſubmiſſis auxilijs, velificante.
Ergo

Ergo per id tempus Papienſem Cæſaris præſidio ferocem & ad Derthonam noſtræ iam vrbis coloniam (quod datæ ad eam litteræ, & conſanguinitatis inſignia teſtantur) fortiter ſuſtinuimus; & Septezano, quod à Scaranis occupatum obſidione repetebat expulimus: & Stabulium, Cunaſium, & Ceredanum expugnauimus: & Lugani Vallem rebellantem ſubegimus. 1156. *Fridericus Romam interim petens Adrianum Pontificem inde pulſum Sutrij obuium reuerenter excepit: & profeſſus ob id muneris gladium ſe, & imperatoris nomen accepiſſe, in Vrbem reduxit, vbi ab eodem Coronam ſuæ dignitatis inſigne ſuſcepit. Sed ſubita Populi Romani irruptione vterque captus eſſet, niſi eum accerſitus e propinquo exercitus, non ſine ingenti cæde, ſubmouiſſet. Inde retro ſigna conuertens Spoletum de Cæſareis nuncijs male meritum direptione, & incendio multat.*

Anconam progreſſus honorificam Conſtantinopolitani Imperatoris legationem audit ſuadentem bellum aduerſus Gulielmum Siciliæ Regem. Sed tantæ expeditionis difficultatem, & periculum æſtimanti, antiquior in patriam reditus fuit: quem quia pecunia à Mediolanenſibus accepta obſidere conati ſunt Veronenſes, non leues victori pœnas dedere.

EPITOME
Libri IX.

FRIDERICO *Italia digreſſo, Papienſis Gulielmi à Monteferrato, & Obizonis Malaſpinæ ſocietate auctus, contractis*
1157. *ad Vigleuanum copijs, Mediolanenſem in ſe excitat: nec modo populatione vexatur, acieq. vincitur, ſed etiam Vigleuano exigitur: adeoq. affligitur, vt erigere*

gere ſe deinceps non audeat. Hac quiete parta, Mediolanenſis per otium reſtaurat oppida, & munitiones ſuæ ditionis bello labefactata, populo ad ſuſtentandos ſumptus vectigalibus onerato. Animo inde ad Laudenſem conuerſo, fidelitatis ab eo ſacramentum exigit: & præſtare 1158.
recuſantem, ne periurus in Cæſarem fieret, domorum compilatione, vinculis, & prope altera vrbis vaſtatione multat. Hanc Cæſaris, pariter ac Numinis iniuriam non diu impunè tulimus. Etenim non multo poſt Fridericus, aſſumpto Boemiæ Rege, ingenti cum exercitu per Tridentinas fauces in Italicum ſolum iterum erupit: perque Veronenſem, ac Brixianum agrum ad Adduæ ripam delatus primùm Corneliani vadis, deinde Caſſianenſi ponte in Inſubrium traijcitur: & Tricienſi arce, ne hoſtem haberet à tergo, expugnata, ad Lambrum in Caſtiragi, Salarianique campis conſiſtens

Digitized by Google

Laudenſium expoſtulationes audiuit: nec modo nouam ipſis vrbem ponere permiſit; ſed ipſe propemodum auſpicatus eſt, & inſignibus, atq. immunitatibus donauit. Finitimarum interim ciuitatum auxilijs auctus in Mediolanenſes conuerſus vrbem vndequaq. circumſedit, oppugnauitq., donec incolumi libertate ſe dederet. Moguntiam digreſſus Seprienſis agri, & Marteſanæ Proceres qua muneribus, qua præclaris dignitatum nominibus, qua ingentium præmiorum pollicitatione adeo ſibi coniunxit, vt eos poſtero bello hoſtes experti ſimus omnium infenſiſſimos. Inde Roncaliam iterum profectus, cum eo frequentes principes, & ciuitatũ legationes conueniſſent, adhibitis iureconſultorum peritiſſimis, doceri voluit, quid quisq. ditionis quo iure ſibi vindicaret: Genuenſes, niſi vbi aperto latrocinio aduenæ violarentur, omnino ſui iuris eſſe permiſit, & Monaco ad

Coruum

Coruum promontorium liberè dominari, fidelitatis tamen ſacramento per legatos exacto, qui Intemelienſium à Genuenſibus defectionem occupata arce adiuuerunt: Tota Longobardia Poteſtates cum ſummo imperio conſtituit, plerosq. Germanos homines. anno vertente Montem Ferratum hyematum conceſſit, vnde opulentiores Longobardiæ ciuitates, ad extorquendam pecuniam, belli, ac vaſtitatis denunciatione terrebat. Sed Placentini tamen ſuæ vrbis munitiones labefactare, & Mediolanenſes Cæſaream Poteſtatem acceptare iuſſi adeo recuſauere, vt à legatorum iniuria non temperauerint. Ergo Bononiam profectus Mediolanenſem populum ſacri hoſtem Imperij, ac perduellem ſolemni more pronunciauit: qui, vt factis nomen impleret, Tricienſi arce, quò ingentes opes Fridericus condiderat, expugnata, ſuum inde ærarium ditauit: & ſocio Cremenſi dile- 1159.

Digitized by Google

ctam Cæſari Laudem inuaſit. Sed & tunc repulſus eſt; & paulo poſt fraude à Cæſare circumuentus cladem accepit. Crema vero diù obſeſſa, & acriter oppu-
1160. gnata tandem deditionem facit: & exactis incolis, ad extinguendas inſurgentes ex prædæ partitione diſcordias, ex ſui nominis omine vno incendio concrematur. Nos interim Placentinis, ac Brixianis coniuncti, icto cum Hadriano Pontifice fœdere, non facturos nos pacem cum Cæſare, niſi annuente Pontifice, impetrauimus, vti Hadrianus Cæſari interdiceret ſacris, niſi intra quadrageſimum diem res componeret. Sed Hadriani obitus initam pacandæ Italiæ rationem intercidit. Schiſmate enim ab Octauiano aduerſus Alexandrum verum Pontificem excitato, cum Ænobarbus in Papienſi conciliabulo ad id ſedandum indicto, reiecto Alexandro, qui intereſſe, & cauſam agere indignum putauerat, Octauianum appel-

appellatione Victoris verum Pontificem renunciaſſet; Alexander verò per Legatum Cardinalem ipſum Victorem, & Fridericum, ſimulq. vtriuſq. aſſeclas Romanæ Eccleſiæ hoſtes, & ſchiſmaticos Mediolani declaraſſet; Mediolanenſis populus religionis cauſa cùm omnes, tùm vero Laudenſes propinquos bello perſequendos putauit. quod Fridericus fœda Mediolanenſis agri populatione, & Pontirdi, ac Farræ expugnatione compeſcuit.

EPITOME
Libri X.

AT Mediolanenſis acceptas à Friderico clades finitimis eius ſocijs de more remetiri. Laudenſem ſæpius adorti id effecimus, vt iam non luteas munitiones nobis, ſed murum obijceret. Ergo aliorſum in Carcanum oppidum Vrbi infeſtiſſimum con-

uerſi, duce Archiepiſcopo, dum geminas arces milite, ac machinis premimus, à Cæſare arctiſſime intercluſi per tela, per hoſtes viam feceramus ad victoriam glorioſiſſimam, prædamq. opulentam, niſi vtriq. ſe Cæſar fuga ſubduxiſſet: quam poſtero die interceptis cõmeatibus, & auxilijs Laude, Cremonaq. ad Cæſarem miſſis, cumulauimus. Obſidione ob eius difficultatem digreſſi, Herbenſes, & Vrſinicenſes, quorum oportuno ſubſidio patrata victoria fuerat, iure ciuitatis, atq. immunitate donauimus. Dum Fridericus Papiam dilapſus noua in ſequentem annum auxilia amicis ciuitatibus imperat, noſtra interim magnam partem incendio ex priuatis ædibus erumpente conflagrauit. Ergo miles in propinqua oppida hybernatum deducitur: nec interim vacat; ſed refecto ad Pontirolum ponte, Laudenſem vexat,
1161. Placentino adiuuante. Ineunte vere

Ca-

Caſtillionum obſeſſum habuimus, donec Cæſar ſubſidio illi veniret. qui nouis copijs, ac Ducibus ex Germania auctus caſtra Mediolano admouit; & milite late circumducto, quidquid vſquam frugiferum erat, ferro, pedibus concidit, obtriuit. quo tempore octodecim in Vrbe annonæ præpoſiti ſunt, qui magnis ex eius caritate incommodis occurrerent. Cæſar exercitum in circumpoſita oppida partitus, indictum in cauſa Alexandri, & Victoris conciliabulum Laude celebrauit, in quo Mediolanenſis Archiepiſcopus, alijque veri Pontificis aſſertores ſchiſmatici iudicati ſunt. Inde caſtra ad vrbem mouens erumpentes ad pugnam ciues partim cæcidit, partim captos Laudem in cuſtodiam miſit. Diuturni belli, & obſidionis incommoda pacis nobis amorem conciliauerant: ſed oratores ad Cæſarem profecti hoſtiliter cæſi, fugatiq. ſunt; & Vrbs obſideri arctius

cæpta

cœpta, barbarè obtruncatis, qui annonæ aliquid inferre tentarent. Ergo fame intus vſq. ad parricidia ſæuiente, poſt tentatas eruptiones, ac prædas, primùm legati ad petendam certis conditionibus
1162. pacem miſſi; deinde his reiectis, Conſules, ac primores Ciuitatis ad Cæſarem ſupplices adiuere; ac præter alia deditionis argumenta, dedere fidem, imperata ſe facturos, futura, ſine dubio, opinione ſua longè duriora: poſtremo magna equitum, ac peditum manus ad eius pedes prouoluta, delatis clauibus, ac Carrotio religioſo quodam ciuitatis pignore, ſolemni deditione Imperatoris ſe arbitrio permiſere. qui quadringentis amplius obſidibus acceptis, reliquorum verò ciuium (præter Archiepiſcopum, aliosque non paucos fuga iam elapſos) fide ſacramento ſibi viritim obligata, cum tantum muri ad ſingulas Vrbis portas eius iam edicto dirutum eſſet, quantum

tum ſufficeret exercitui quadrato agmine ingreſſuro, horrendum tandem intonuit, ciues vt omnes Vrbe intra octiduum emigrarent. Quantus tunc Mediolani gemitus, quæ comploratio? quibus diris, ac furijs barbarum Imperatorem deuouerunt? Sed populi, militiæq. principibus partim dilapſis, partim in obſides datis, mouere lacertos, tutariq. diutius patriam ignobile vulgus, vt maxime vellet, non valebat. Ergo in agrum ſuæ quiſq. regioni proximum ſub extemporales caſulas immigrarunt, vt, quatenus ſeruare non poterant, occidentem patriam lacrimis proſequerentur. Imperator enim ingreſſus, tametſi auguſtiſſimæ Vrbis aſpectu mitigatus parcendum innoxijs ædificijs iudicaret, finitimis tamen hoſtibus noſtris Vrbem ad vaſtitatem, & incendium depoſcentibus tandem permiſit: quorum machinis, manibusq. (ſicubi flamma non proficeret) verius,

quam

quam barbarorum aratro, ſalisq. ſatione Mediolanum funditus euerſum eſt. Fama de Angleriæ Comitibus, & origine Vicecomitum Mediolani ruinis obruitur.

Fridericus, ceu tota Longobardia in vno Mediolano tandem ſubacta, Longobardorum Rex Papiæ coronatur. Inde Brixia, Placentiaq. per legatos in deditionem acceptis: & ſua Poteſtate tùm Mediolanenſibus aliquot iam vicos circa veterem vrbem colentibus, tum etiam in reliquis Longobardis ciuitatibus relicta; nouo etiam cum Genuenſibus icto fœdere, Flaminiam ingreſſus viam Bononiæ, Fauentiæ, Imolæq. excipitur. Turiſendum Gardenſis arcis Dominum parere recuſantem bello per legatos ſubigit. quod dum geritur, ipſe Veſontionem ad indictum de vero Pontifice Concilium reuertitur. Ex itinere, Taurini Genuenſium, ac Piſanorum diſcordijs per legatos expoſitis inducias im-

Digitized by Google

imperat. Diſſoluto re infecta Concilio, ex Gallia in Germaniam excurrit, Longobardia ſuorum magiſtratuum intolerandis rapinis permiſſa. 1163.

EPITOME
Libri XI.

SED veritus, ne Longobardum, in primis verò Mediolanenſem ſeruitutis pigeret, puderetq.; & recentis adhuc memoriæ libertatem ſe abſente repeteret, in Italiam propediem reuoluitur. Laudem appulſus, dum S. Baſſiani Lypſana in nouam Vrbem ex vetere deferuntur, humerum ipſe piæ ſarcinæ ſupponit. Inde Papiam progreſſus, accepta ob eam rem à populo pecunia, alterum Derthonæ mandat excidiũ. Conſanonerios ob egregiam in bello fidem, atq. operam feudis, ac vectigalibus remunerat. Moguntiam proficiſcens per Mediolani ſuburbia,

exorari

Digitized by Google

exorari ſe patitur, vt datos obſides diu-
turno carcere maceratos liberos abire
patiatur. Parmæ poſtmodum agentem
Genuenſes à Bariſone Sardiniæ Tetrar-
cha legati rogant, eam vt inſulam ei-
dem Regis nomine tenere liceat. Ille
Bariſone ad ſe accedere iuſſo, aduerſus
Veronenſes Vicentinos, ac Patauinos de-
fectionem ordientes mouet: ſed illis intre-
pide occurrentibus, detrectata pugna,
Ticinum refugit: & Bariſonem eo nuper
appulſum, Piſanis nequidquam obſtre-
pentibus, Sardiniæ Regem dicit, non
abſq. præſenti pecunia; cuius cauſa Ba-
riſon à Genuenſibus, qui eam numerauē-
rant, in cuſtodia habetur, donec eam
repræſentet. Papienſe etiam nouis iu-
ribus ornato, in Germaniam nouas in Ve-
ronenſem copias contracturus proficiſci-
tur. Nobis interim non modo nouis in
dies vectigalibus, ac tributis fortunæ,
ſed etiam ſacra pignora Sanctorum Ma-
gorum

gorum, itemq. Naboris, & Felicis auferuntur. nec mitius cum Placentinis agitur. Piſani Cæſarem proſequuti Sardiniæ ditionem mercantur: & mox iuſta claſſe Albingaunum improuiſi occupant: prædaq. nauigijs impoſita, tectis 1165.
admouent ignes. Genuenſis hoſte fuga dilapſo, acceptam in continenti cladem in Sardinia vindicat, Piſano nomine inſula tota exacto. Alexander igitur Victore quidem vita, Ænobarbo autem Italia digreſſis, ad Gulielmum Siciliæ Regem confugit: Romamq. ab eo hono- 1166.
rifice tranſmiſſus, ſumma omnium ordinum gratulatione excipitur. Vberto autem Piroueneo in itinere vita functo Caldinum Salam nuper Cardinalem ſufficit. Cum interim Fridericus Italiæ quartum ſigna infert infeſta. Ab Tridentinis ſaltibus ingruens Brixiano, ac Parmenſi ſolo ſtatim incumbit; & euaſtatis agris, & obſidibus, ne moliri res no-

uas poſſint, imperatis, Laude ſubſiſtit. Interim Genuenſium, ac Piſanorum diſcordias ſuo vitio renatas ſedare negligit: ac plerisq. Longobardis ciuitatibus de Magiſtratuum rapinis expoſtulantibus nullum vltra verba ſolatium præbet. Inde rurſus Alexandro infenſus via
1167. *Æmilia ad Vrbem mouet: & aliquibus populatis, alias vrbes incuſſo terrore, pecunia emungit.*

Eo deinde Anconæ obſidione diſtento, Cænomanorum ciuitates nupera coniurationis exorſa palam, conſtanterq. pertexunt: ſublatoque ad libertatem ſigno, Inſubres etiam in fædus adducunt. Initium reſtitutionis ab ipſo capite Mediolano ducitur, eius ruinis, tum priuatis, tum publicis in ædes, ac munitiones reformatis. Deinde Laudenſis nomen in fædus dare, quia recuſat, vexatione cogitur. ſubinde Tricienſi arce Cæſaris ærario in poteſtatem redacta, pecunia

omnis

Digitized by Google

omnis Mediolanum auehitur. Cæſar interim Anconæ obſidione ſoluta, caſtra propius Vrbem admouet: & Romana acie primo congreſſu diſiecta, eadem potitur. Alexandro fuga dilapſo, Paſcalem aſſerit Pontificem: à quo Imperij decora iterum accipit. Exercitu peſtilentia pæne confecto, & Romanis fidelitatis ſacramento obligatis, Papiam in ipſius fide perſeuerantem per auia reuertitur: & lacertos adhuc mouere fruſtra conatus, in vrbibus vltra Ticinum ſitis identidem ſedes, quaſi latebras mutat. Caldinus Mediolanum ab Alexandro dimiſſus initum inter Longobardos fœdus, cauſamq. Alexandri fouet, Laudenſibus, vt ſchiſmaticum Epiſcopum vrbe pellant, perſuaſis. Deniq., dum non modo aliæ in dies Ciuitates, ſed etiam finitimi Proceres Cæſaris amici fœderi accedunt, Guidone Blandratenſe excepto, cuius ampla ditio hoc nomine 1168.

fœderatorum populationibus vexatur, Ænobarbus per Taurinas Alpes Italia tota more fugientis excedit. Fœderati ne Papienſes cum Gulielmo à Monteferrato, qui adhuc à Cæſare ſtant, coire poſsint, & mutuis ſe auxilijs confirmare, nouam trans Padum vrbem, quaſi coloniam collocant, quæ ab Alexandro, quem Pontificem coluit, dicta eſt Alexandria: Alia etiam ad commune bonum ſpectantia in Laudenſi conuentu decernunt. Alexander Beneuenti agens legatos audit tum Græci Imperatoris opem ad Romani Imperij reſtaurationem deferentis; tum Regis Anglorum cædis Thomæ Cantuarienſis crimen ab ſe remouentis. Bariſon in Sardiniam deportatus conſtituta ratione repræſentandæ Genuenſibus pecuniæ, Genuam in cuſtodiam reportatur.
1169. *Mediolanenſes otium nacti*
1170. *veteri vrbi inædificant nouam, ambitu*
1171. *vndequaq. laxato.*

EPI-

EPITOME Libri XII.

DVM Longobardus Cæſareo excuſſo iugo, ceſſantibus armis vires facit, Cæſar Etruſcos, ac Ligures in fide retinere per legatum ſtudet, eorum rebus in Lu- 1172.
cenſi conuentu compoſitis, Sardiniaque Genuenſibus adiudicata: incolumi tamen iure Bariſonis per idem tempus ære alieno, ac cuſtodia liberati. Iam vero refectis biennio viribus, ab Taurinis Oſtijs Italiam quintum ingreſſus Seguſionem, 1174.
& Aſtã breui ſubigit. Inde caſtris Alexandriæ, quæ tum primùm Epiſcopum ab Alexandro obtinuit, ſtatim admotis, obſidionem inſtituit: & per gelidam hiemem ad ſextum menſem bona fide producit. tandem ad fraudem conuerſus ſub religioſiſſimum Paſchatis tempus, quo 1175.
induciarum dederat fidem, validam

militum manum cuniculo per noctem in vrbem immiſit. Sed oppidani ab excubitoribus exciti cæſis graſſatoribus, & cuniculi faucibus obſtruſis, eruptione facta, ſecurum in caſtris hoſtem adorti cæde, & incendijs obſidionis ærumnas abunde vlciſcuntur. Cæſar cum ſuis Papiam dilapſus, veritus ne includatur, ſimulat pacem, donec fœderatorum exercitus ſoluatur; ipſe vero euocatis ab Germania auxilijs inualeſcat. His vero cis Verba-
1176. num iam expoſitis dum occurrit cum reliquis copijs, fœderatorum exercitus ad Ticinum, qua Buſti campos præterfluit, intercedit: collatisq; vtrinq. ſignis, hoc tandem gemino prælio Fridericum debellat, direptis caſtris, & milite internecione deleto. Is enim Comum incluſus clade, ac belli difficultatibus æſtimatis, Legatos ad Alexandrum mittit, qui pacem, ac veniam exorent. Alexander
1177 imperatis inducijs, conuenire illum Vene-

tias

tias iubet, ac per ſe veniam contumaciæ ab Eccleſia deprecari. Eo igitur delatus Alexandri plantis collum frendens, Petrumque iterim reputans calcandum ſubmittit: & poſt ſolemnem expiationem, ipſe Auguſtus, Henricus vero filius Cæſar appellatur. Demum Pontifice Romam deducto, & in Petri ſolio collocato, iterum expiatus in Germaniam concedit. 1178.
Hæc foris. In vrbe Caldinus Archiepiſcopus, dum Catharos Hæreticos e ſuggeſtu ardentius exagitat, ſub concionem labore confectus naturæ concedit: cui Algiſius Piroueneus ſufficitur.

Reddita pace, Ticini pars nauigabili alueo ad Vrbem deriuatur. In Germa- 1179.
nia Henricus Saxo perduellis à Friderico 1180.
pronunciatur. Conſtantinopoli Emmanuele, Romæ Alexandro, Hieroſolymis 1181.
Gulielmo Longaſpata vita functis, Imperium Alexius filius, Pontificatum Lucius III, Regnum Balduinus V, & mox

Guido Luſignaneus Rex Cipri ineunt. Ferrariæ Eſtenſes Marchiones fortunis, & potentia augentur. Demum Italiæ pax triennio poſtea quam parta eſt ſti-pulantibus Longobardarum ciuitatum oratoribus, ſpondenteq. Cæſare, certis
1183. *perſcriptis legibus, Conſtantiæ primum*
1185. *celebratur: deinde Friderico in Longobardis agente, iterum Placentiæ, quod quidem ad nos attinet, conditionibus paullo melioribus. Algiſio interim mortuo, Vbertus Cribellus Archiepiſcopatum*
1186. *init: inde ſtatim ad Pontificatum Vrbani nomine euectus, Milonem Cardanum Mediolanenſibus præfert. Fridericus pacata Italia, & Henrico filio commiſſa, Germaniam petit.*

1187. *Saladinus Ægipti Rex ducto in Syriam exercitu, Hieroſolymis, ceteriſq. vrbibus potitur. Tyrum Montisferrati Marchio Conradus periculo eximit. Siciliæ Regnum Tancredo iuniori populi*

ſtudio

Digitized by Google

ſtudio decernitur : ſed Cæleſtinus Pontifex III. iure feudi ad ſe deuolutum contendens, Henrico VI. Romanorum Regi defert, Conſtantia Rogerij Regis filia in iuris ſubſidium coniugio eidem copulata. Fridericus terra, Galliæ, & Britanniæ Reges mari in Syriam aduerſus Saladinum Pontifice authore mouēt. 1189.
Friderico in Armenia fluminis, in quem refrigerandi cauſa deſcenderat, vndis abſorpto, primum eiuſdem nominis filius maritimis copijs adiutus, deinde eo 1190.
quoq. ſublato, ceteri Duces bellum vrgent : ſubactaq. Syria, Hieroſolymitanum Regnum vna cum Iſabella Balduini IV. ſorore obtinet Conradus à Monteferrato. 1192.
Interim Henricus in Italiam deſcendit vtramq. Siciliam armis vindicaturus. 1191.
Ex itinere Longobardis aliquot Ciuitatibus, & Proceribus, itemq. Piſanis multa indulget : ſed Genuenſes potiſſimum in belli ſocietatem ingentibus pro-

promiſſis allicit. Sed morbo in Neapolis
obſidione contracto, in Germaniam ſe
1193. *recipit. Biennio poſt mortuo Tancredo,*
reſumptis armis, Genuenſium claſſe adiu-
1194. *uante vtroq. Regno potitur: multisque*
profanis, pariter & ſacris in Sicilia cru-
deliter obtruncatis, Genuenſibus vero
promiſſis, ac ſpe falſis, anathemate in-
1195. *ſuper à Pontifice ictus, in Germaniam*
concedit: indeq. Friderico Rogerio Con-
ſtantia genito in Imperij ſocietatem ad-
ſcito, in Italiam reuerſus eundem in
1197. *auunculi regno collocat. Nobis interim*
1193. *cum fœderatis ciuitatibus ſubortæ diſcor-*
1194. *diæ; & Milone extincto, Vbertus Ter-*
tiagus prælatus eſt.

EPI-

EPITOME
Libri XIII.

PHILIPPO I. & OTHO-
NE IV. *de Imperio di-
micantibus, Longobardæ
aliquot ciuitates nobiſcum
fœdus iungunt amicitiæ* 1198.
*pace, & bello, vndecumq. hoſtis ingruat,
conſeruandæ. Papienſis contra, & Cre-
monenſis communicato conſilio diſtrahen-
di, infringendiq. vires noſtras, ab ſua
quisque parte bellum pariter nobis infe-* 1200.
*runt. Sane primus cum Papienſe con-
greſſus parum nobis feliciter cedit: ſed
iterum laceſſiti Vigleuano capto in fœ-* 1201.
*dus venire compellimus. Derthonenſis
item, & Alexandrinus in Aquenſem
Diœceſim conſpirant.*

*Balduinus Flandriæ Comes, & Bo-
nifacius à Monteferrato pulſo Alexio
Græcum inuadunt Imperium, Venetis* 1203.
adiuuan-

adiuuantibus : prædamq. adeò opimam
ita diuidunt, vt Theſſalonicæ Regnum
Bonifacius, Inſulas toto Pelago frequen-
tiſſimas Veneti capeſſant; Balduino reli-
quum Imperium reſeruetur: quod eo in
èxpeditione extincto, breui ad Henricum
fratrem peruenit. Genuenſes Siracuſas
1204. à Piſanis occupatas in priſtinum aſſe-
1205. runt ſtatum. Mediolani Galiardorum
ſocietate pulſa, abrogatiſq. Poteſtatibus,
reſtituitur Conſulatus: & Vbertus Piro-
ueneus hoc nomine II. Archiepiſcopatum
ſua excipit purpura. Apud Germanos
1208. Philippo interempto, regnat Otho. qui
Mediolanenſium amicitia litteris, &
aliquorum ciuium opera conciliata, in
210. Italiam ſecurus deſcendit: & Medio-
lani primum ferro, deindè Romæ auro
redimitus, audit Imperator eius nominis
1211. IV. Sub idem tempus Mediolani ſta-
tuta recuduntur, & Henricus Septala
Vbertum excipit. Otho Pontifici recu-
ſanti

Digitized by Google

ſanti Patrimonio Eccleſiæ à Matilda Legato cedere ſit inimicus: ideoq. Neapolitanum Regnum, quod ille vna cum Friderico Rogerio adhuc impuberi in clientelam acceperat, inuadit. Quamobrem hoſtis Eccleſiæ declaratus, Imperio mouetur, eodem Friderico promoto, qui in Germaniam mouens ad id capeſ- 1212.
ſendum, quamquam Papienſium, ac Cremonenſium præſidio ſtipatus, ægre finibus noſtris excedit, Othone, Calabriæ expeditione deſerta, eodem feſtinante.
Nos interim cum Cremonenſibus, Pa- 1213.
pienſibusq. haud ſane impune confligimus, ſimulq. ciuilibus diſcordijs æſtuamus, quas reſtitutus Prætor externus ſe- 1214.
dat. Othone vna cum nouo ſocero Ferdinando Flandriæ Comite à Philippo Francorum Rege debellato, Fridericus
Rogerius Aquiſgrani Cæſar ſacratur. 1215.
Syriæ rebus magis in dies laborantibus, Innocentius primum, deinde Honorius

ſacrum

ſacrum in Europa Claſſicum canit: & Henrico Conſtantinopolitano Imperatori
1216. *mortuo Petrum Altiſiodorenſem eius generum ſufficit. cui in eam expeditionem comes proficiſcitur Archiep. noſter Septala lecta bellatorum manu ſuccinctus. Sed nec apud Longobardos ferro ceſſatur. nos cum Papienſibus varia fortuna congredimur: & noſtras interim leges vnum in volumen digerimus: Hæreſes*
1218. *primum S. Dominici prædicatione, de-*
1229. *inde legibus, ac iudicio perſequimur: Fridericus in Italiam reuerſus, Papiæ,*
1219. *ac Derthonæ adminiſtrationem ordinat, ſimulq. iura, & ditiones à Mediolanenſibus, & Placentinis adempta reddi iu-*
1220. *bet. Romæ omnium ordinum gratulatione excepto, & Auguſtalibus inſignito Hieroſolymorum Rex Ioannes Iſabellam filiam Regno dotatam deſpondet. Tam proſpero fortunæ afflatu in Siciliam delatus Genuenſium inibi iura, & opes*

accidit:

accidit : Henricum filium Romanorum Regem inungendum curat. 1223.

Mediolanenſes vacationem ab externis hoſtibus nacti, ciuili bello profana inter ſe odia exercent : plebe aduerſus nobiles, quorum honores, & munia appetebat, ferrum, ac flammas corripiente. Nec alijs conditionibus, quam ſacerdotiorum communione tempeſtas deſæuijt. 1225.
Cæſar deinde Cremonæ agens Sauonenſes aduerſus Genuenſes expoſtulantes reijcit. qui repulſam paſſi vna cum Albingaunenſibus Sabando ſe Comiti dedunt. Sed breui ſub iugum iterum mittuntur. 1227.
Mediolanum deinde, aliasq. Longobardas Ciuitates Imperij perduelles iudicat, 1226.
quibus etiam ab Legato Pontificis interdicitur ſacris. Inter hæc Archiepiſc. Septala ex Syria redux Mediolanum appellitur, & ſuffraganeos, qui per abſentiam defecerant, Præſules ad officium reducit. nec multo poſt vita digre- 1230.

diens

diens Vberto Ruzolo loco cedit. Hoc Præſule, media Vrbe Prætorium Palatium
1233. *extructum eſt: Et S. Franciſci ſectatoribus ædes Naboris, & Felicis attributæ: & clandeſtinum fœdus cum Henrico Friderici filio initum. Sed Fridericus ab Actiolino Pataui Tyranno in*
1236. *Italiam euocatus, noſtri exercitus cæde, & Vicentiæ incendio conſpirationis flammam in Longobardis, & in Germaniam aduolans fomitem ipſum Henricum extinguit. Conradoq. minore filio Germaniæ gubernaculis admoto, in Italiam re-*
1237. *uerſus Mantua in deditionem accepta, duplicem nobis intulit cladem; exercitus*
1239. *cæſi, agriq. populati. Salinguerra eius præſidio inſolens, Ferrariæq. tyrannus Pontifici, Legati, Italorumq. Procerum conſpiratione in ordinem, carceremq. re-*
1240. *digitur: demumq. aduerſus Fridericum Eccleſiæ hoſtem Crucis ſublato vexillo, Claſſicum canitur.*

EPI-

EPITOME
Libri XIV.

FRIDERICVM *Rauennæ acceſſione ferociorem, ipſique pariter, ac nobis dura denunciantem Gregorius Pontifex hoſtem iudicat: Conciliumq. Romam indicit. Genuenſes nec Piſanorum legatione ſollicitati, nec ciuium Friderico ſtudentium coniuratione territi, in amicitia, cultuq. Pontificis perſeuerant: & Claſſem, qua Galli, Longobardiq. Antiſtites Romam deportentur, adijciunt. Sed ea à Piſanis intercepta, Præſules, qui vehebantur, in cuſtodia habentur: Francorum Rege apud Fridericum fruſtra expoſtulante.*
Gregorio fatis erepto primum Cæleſtinus 1241.
IV. e Caſtillionea Mediolanenſi familia, & mox Innocentius item IV. e Fli- 1242.
ſca Genuenſi Pontificatum init. Huic,

præter Genuenſes, non pauci Longobardorum Dynaſtarum, & pleræq. nobiſcũ Ciuitates dant nomen aduerſus Frideri-
1243. cum. Et Genuenſes quidem Sauonam, reliqui fere Taurinum bello aggrediuntur. Sed vtramq. vrbem Cæſar, ſubmiſſis auxilijs, incolumem præſtat. Et Genuenſes vicisſim Innocentium ab eodem ſpecie reconciliationis Roma euocatum, & iam pæne obſeſſum, ſeu amore religionis erga Pontificem, ſeu pietatis erga conciuem, ſubmiſſa claſſe, periculo, ac prope vinculis eximunt. Fridericus
1244. diſſimulata conſcientia ſacrilegi conſilij, Piſas delatus, nouam de pace ad Pontificem Genuæ agentem legationem mittit: qui nihilo minus in Gallias iter ſuſcipit, tot, tantisq. Eccleſiæ, & Italiæ malis remedium aliquod deprecaturus. Chriſtianorum igitur Regum, ac Princi-
1245. pum conuentu Lugduni habito, Fridericum anathemate ictum de Imperij culmine

mine deturbat. eoque nihilominus ſuæ fortunæ conſcientiam retinente, ſeq. apud Principes, populosq. purgare ſatagente, Henricus Turingiæ Lantgrauius Germaniæ Principum ſuffragijs renunciatur Cæſar: & aquiſitam alieno beneficio dignitatem propria virtute tuetur, debellato 1246.
Conrado à Friderico patre in ipſum immiſſo. Inter hæc Fridericus Papia, & Henricus filius Cremona nobis pariter inferunt bellum. ſed breuì deſperata victoria, finibus excedunt ad opprimenda in Parmenſibus defectionis conſilia, bellumq. Genuenſe in Etruria apparandũ: vbi Aulicorum in Friderici caput coniuratio detegitur, ac vindicatur. Parma ab exulibus Guelphis ope Pontificij 1247.
legati capta; & Mutina, Regio, alijsq. in dies tum oppidis, tum Dynaſtis Pontificis partibus accedentibus, Fridericus Parmam obſeſſurus nouam Vrbem pro caſtris dimidio à vetere milliario moli-
 tur:

tur: & de nomine omen facturus, Victoriam dicit. Sed & fœderatorum auxilia ſibi, ac commeatibus viam in Vrbem fecerunt; & Cæſare ad aucupium longius progreſſo, corruptaq. in caſtris di-
1248. *ſciplina, eruptione facta, victa ipſa eſt a Parmenſibus, & euaſtata victoria; & Imperij inſignia in triumphum ducta. Triremis inſuper, qua ducenti amplius Neapolitani pernobiles Sauonam Friderici iuſſu vehebantur, à Genuenſibus intercepta eſt; & Mediolanenſes aliquot in ea captiui, in libertatem aſſerti. Nec æmuli Cæſaris morte diu gauiſus eſt, Gulielmo Holandiæ Comite breui, adnitente in primis Pontifice, ſubrogato. Victoria demum non ſemel fruſtra ten-*
1249. *tata, in Apuliam concedit, rei Longobardæ cura Henrico filio Sardorum Regi commiſſa. qui breui pro Mutina cum Bononienſibus congreſſus, victus, captusq. e vita citius, quam carcere emigrauit.*

quem

quem Fridericus non multo poſt ſequitur. Florentini Apuliæ oppido (quod nomen ſibi fatale genethliaci hominis denunciatione declinauerat in Etruria) ſanctius multo, quam vixerit, moritur: relicto teſtamento, quo quidquid iurium, aut ditionis Romanæ ſedi ademerat, relaxabat. 1250.

EPITOME
Libri XV.

FRIDERICI II *obitum magna Longobardæ rei permutatio ſequuta eſt. Gibellini iacent; Guelphi contra in omnem fortunæ ſpem ſe extollunt. Innocentius prope ſeptennium exul, in Italiam reuerſus, in pleriſq. vrbibus honorifice, Mediolani vero victoris, ac triumphantis in morem excipitur, moraturq. aliquandiu, præclaræ interim virtutis,* 1252.

Digitized by Google

ac doctrinæ præbens exempla. Laudenſes adhuc aduerſantes ſacris ſpoliatos omnium manibus, armisq. permittit, ac deuouet. Igitur Ducibus Prætore, & Succio Viſtarino Laudenſi exule, eam vrbem breui ſubigimus, & Rempublicam pro arbitratu ordinamus. Conra-
1251. *dus Friderici filius Italiam ingreſſus, Regnum Neapolitanum, Siculumq. cedente Manfredo, capeſſit: & Henricum fratrem parricidij in Fridericum Nepotem ſuſpectum præfocat.*

Petrus Veronenſis ſacer e Dominicana familia Quæſitor Hereticorum coniuratione occiditur, & ille quidem frequentibus ſingularis ſanctitatis ſignis,
1253. *religioſoq. populorum plauſu ſtatim clarus, in Diuos, adiecto Martyris cognomento, refertur: horum autem aliqui eandem ingreſſi familiam dignis pœnitentiæ fructibus ſangninem expiant, quo expiantur; &, ceu ſubacti hoſtes, mar-*

tyris

tyris triumphū cumulant. Conrado Nea-
poli fraude Manfredi fratris extincto, 1254.
Hiſpano, & Anglo Regibus ambienti-
bus, Imperium duodeuiginti annos va-
cat. Interim Innocentius Neapolitanum
Regnum bello repetit; accipit deditione:
mox fatis ereptus Alexandrum IV ſuc-
ceſſorem habet. Piſani Cæſare defenſore
deſtituti, duris conditionibus vexationem 1255.
à finitimis redimunt. Brixia ab Actio-
lino ſubigitur. nos pacem foris partam 1256.
ciuilibus diſcordijs, bellisq. fœdamus. in-
uiſum hominem Prætorem à populo aſſer- 1257.
tum non ferentes patricij, egreſſi in pa-
gos, alio Prætore dicto, ſuis, & amica-
rum Ciuitatum copijs creſcentem in dies
populi arrogantiam tantisper comprimūt. 1258.
Sed mox totius Reipublicæ cura vni ho- 1259.
mini Martino Turriano populi ſuffragijs
permiſſa, Ciuitas iterum in plura ſcin-
ditur capita. Patriciorum non pauci
Vrbe cedunt: à quibus ſollicitatus Actio-

linus cruentiſſimus Patauij, & finitima-
rum vrbium tyrannus aduerſus Medio-
lanum ſigna mouet : paucisq. oppidis
potitus, occurrente hinc Turriano, inde
inſtantibus Venetarum vrbium copijs, de-
ſertus à ſuis in hoſtium poteſtatem venit,
& à ruſtico homine domeſticæ iniuriæ
vltore vulneratus, magno Italiæ bono vi-
uere deſinit. Turrianus ea victoria po-
pulo gratior factus, potentia in Patri-
1260. cios abuti; nec Mediolano modo illos,
1261. ſed propinquis quoq. vrbibus longius ſub-
mouere; compræhenſos ſupplicio afficere;
eorum ducem Soreſinatem ingentibus ad
ſe promiſſis allicere; externa quoq. au-
xilia euocare; ſublato publico conſilio,
Rempublicam ſuo vnius arbitrio admi-
1258. niſtrare. Sub eadem ferme tempora,
lege lata, qua ruſticani homines male-
ficia prodere, vel detrimenta ſarcire iu-
bentur, ruſticandi, atq. itinerum ſecuri-
1259. tati conſultum eſt; & fame in vrbe,
ac peſtilentia laboratum. EPI-

Digitized by Google

EPITOME
Libri XVI.

OTHONE VICECOMITE
*ab Vrbano Pontifice IV
Mediolanēſibus prælato,
veteres Patriciorum, &
Popularium diſcordiæ iu-
ueneſcunt. Martinus Turrianus populi
princeps Vicecomitum agros, & ditiones,
nunc ſane modicas, inuadit; & Otho-
nem Arona potitum perſecutus, fugere* 1263.
*cogit diſſimulata perſona. morti proxi-
mus principatum Vrbis Laudæ, & No-
uariæ ditione auctum, tamquam auitum,
Philippo fratri committit: à quo mox in
Tellinam vallem, & in Comenſes, ac* 1264.
*Bergomates longioris Præturæ nomine
prolatum eſt. Eo repente ſublato, Na-* 1265.
*puleo ex fratre nepos iuſſu populi Me-
diolanum nomine Rectoris perpetui, fini-
timas vero vrbes nomine Poteſtatis ſub*

apertum

apertum Imperium accipit adeo non ciuile, vt ſtatim Paganini gentilis ſui Vercellis occiſi Manes quatuordecim ſupra
1266. *centum Patriciorum ciuium cæde placauerit. Carolus Prouinciæ Comes annuente Clemente Pontifice, Turrianiſq. adiuuantibus, vtriuſq. Siciliæ regnum adit, & victo, cæſoq. Manfredo, Romani Imperij Vicarius dicitur. Hæc propter res Pontificia in Longobardis adeo creuit, vt Germanum Regem Conradinum ſolæ vrbes Verona, & Papia Cæſarem agno-*
1267. *ſcerent, & in Italiam euocarent. Qui dum cunctatur, Turriani icto cum Carolo, ac reliquis Longobardis fœdere, Papienſes Vigleuani expugnatione vexant: & cum Othone Vicecomite de Epiſcopatu iudicio contendunt apud Pontificem. à quo non modo ipſi, quamquam Caroli clientela vterentur, repulſi; ſed Vrbi etiam interdictum eſt ſacris, quo ad Othone admiſſo, Pontifici paruerunt.*

Conra-

Conradino Italiam ingreſſo primam cladem intulere Mediolanenſes adeo, vt ægre Papiam euaſerit: alteram Carolus in ipſo Regni aditu: vbi debellatus, captuſq. iudicio cum ſocijs necatus eſt. quo accepto nuncio, eius Claſſis cœpta feliciter Siciliæ oppugnatione digreditur. Romana ſede ſub obitum Clementis bienniũ vacante, Turriani Mediolanenſem ab Othone iniri non ſinunt. Ille Squarcini Burri Patriciorũ Anteſignani filia Matthæo Vicecomiti ex fratre nepoti heroicæ indolis adoleſcenti coniugio copulata, nobilium ſibi opes, ac vires, atq. adeo Marchionis Montisferrati, eiuſq. ſoceri Caſtulonenſis Regis, quibus cum fœdus inierant nobiles Squarcino in Hiſpaniam legato, patrocinium, auxiliumq. adiungit. Inter hæc diſcordiæ in Parmenſibus ſedantur: S. Donini oppidum Pallauicino ereptum excinditur: Mozanica hæreſeos ſæpe damnata flammis vaſtatur: Laus

1268. 1269.

à Tur-

1270. à Turriano in poteſtatem redigitur: Ludouicus Francorum Rex in Africana expeditione diem obit: Filippus frater à Tunitano Regno pecunia ſubmotus, Me-
1271. diolano in patriam reuertitur. Tandem Tibaldus Vicecomes genere Placentinus nomine Gregorij X Pontifex acclamatur.
1272. Sed ne ab hoc quidem, cum Mediolano
1273. in Gallias proficiſceretur, indeq. rediret, aliud Otho impetrauit, quam aliquos ſuæ Eccleſiæ prouentus; quorum cauſa, quòd eos percipere prohiberetur, Mediolano
1274. rurſus adempta ſunt ſacra. Turrianos vero, à quibus honorificentiſsime Gregorius exceptus eſt, ornauit, Raymundo ad Aquileienſem Patriarchatū promoto: Napuleo quoq. à Rodulpho Imperatore Cæſarei apud Longobardos Vicarij appellatione cohoneſtatur. Sed interim nobilium factio auxilijs ex Hiſpania euo-
1275. catis Turrianos, Mediolanenſemq. ditionem excurſionibus vexat.

EPI-

EPITOME Libri XVII.

SED iam Fortuna Tur-
rianos pertæſa Othonem
Vicecomitem ſequebatur.
Nimirũ Turrianos Pon-
tificiæ auctoritatis non ſe-
mel ſpretæ flagitium ad interitum vr-
gebat. Igitur Otho Arona, & Angleria
potiri fruſtra conatus, & clade inſuper 1276.
accepta, omniq. ſpe obtinendæ dignitatis
deiectus, pulcherrima occaſione rei bene
gerendæ repente erigitur. Napuleonem,
& pleraq. Turriana capita in Vico De-
cio non magno præſidio ſepta vnius tran-
ſfugæ indicio facile per noctem circum- 1277.
uenit: & aliquibus in ipſo conflictu ne-
catis, alijs captis, & Baradellum in cu-
ſtodiam miſſis, bellum prope confectum
eſt. His enim Mediolani cognitis, adeo
cum Fortuna fauor populi conſpirauit,

Digitized by Google

vt Turrianorum ædes populari tumultu direptæ ſint; & Oratores ad Othonem miſſi, qui victoriam gratularentur, vrbemq. dederent. Qui ſuis, vt ne vltra bellum, ac victoriam ſæuirent, alloquio perſuaſis, Pontificio inſignis cultu Mediolanum, ædesq. Ambroſianas ingreditur: ſacrisq. operatus, ac de pace præfatus, tandem in Prætorio Principatu ciuitatis Epiſcopum induit: & magiſtratus pro arbitratu conſtituit, eorum temporibus ad ſemeſtre contractis, ne fides diuturnitate corrumperetur. Dies, quæ Decianæ illi nocti illuxit S. Agnetis memoriam Vicecomitum generi religioſiſſimam fecit. Turrianorum reliquiæ, quæ Mediolano profugerant, Laude, Cremonaq. excluſæ, Parmæ, & Veronæ in potentium amicorum clientela aliquādiu quieſcunt. tum euocatis ex Germania auxilijs, & accito Raymundo Aquileienſi Antiſtite cum valida militum

manu,

Digitized by Google

manu, Laudenſibus, ac Cremonenſibus denuo nobis infenſis adiuncti bellum renouant: & Crema, alijsq. compluribus oppidis recuperatis, agrorumq; vaſtatione Othonem adeo vexant, vt Gulielmum à Monteferrato, delato ſtipendio, atq. vrbis principatu, euocare cogatur. Dumq. ad faciliorem Laudæ obſidionem Gorgonzolæ ſedens Adduam auertere in Lambrum molitur, à Turrianis occupatus, non modica clade accepta, in latebris ſalutem inuenit. Napuleone in cuſtodia defuncto, Gulielmus pacem inter Vicecomites, Turrianosq. conciliat. 1279.
ſed ea inter diſſidentes adeo voluntates diu vigere non potuit. Igitur eductis copijs, Tricium, totamq. Fulcheriam, adiuuantibus Triuilienſibus, ob eam rem ciuitate donatis, in poteſtatem redigit: deinde Incinum Turrianorum perfugium funditus excindit: tum ad Gorgonzolam ingenti prælio Raymundum debel- 1281.
lat,

lat, totisq. Longobardorum finibus exigit: demum ex Hiſpania cum auxilijs reuerſus, dum Laudenſes obſidione premit, ſubmiſſis æmularum circa vrbium præ-
1282. *ſidijs ſubmotus, pacem ea conditione firmat, vt inde Turriani, Mediolano exulent Viſtarini. Sed cum noſtris, ac fœderatorum copijs egregie inſtructus in acie ſtaret aduerſus Tranſadduanas ciuitates; & in Vrbe magiſtratus pro arbitratu decerneret; nouaq. inſuper in Comenſes dominatione auctus eſſet, Othoni, alijsq. nobilibus ſuſpecta admodum eius cæpit eſſe potentia. Pace igitur clam illo cum hoſtibus facta, cum indignans ob id Gulielmus Vrbe ceſſiſſet; & bellica Matthæi Vicecomitis virtus in recenti aduerſus Comenſes expeditione comperta eſſet, eius quoque Vicarium Prætura, atq. Vrbe depulere per idem fere tempus, quo Gallicum nomen Siculo Veſpe-*
1283. *re Inſula tota diſpunctum eſt. Mox*

euocatis

euocatis ex Germania auxilijs ad Derthonam, & Caſtellatium cum Gulielmo pugnatur varia vtrinq. fortuna. mul- 1284.
toq. acrius ad Seprium cum Turrianis, 1285.
ac Comenſibus vna cum Gulielmo aduerſus Othonem coniuratis: quo bello abdicato Carrotio Vexillum album rubra notatum cruce cœptum eſt vſurpari.
Pace demum Comenſibus data, Tur- 1286.
riani finibus cedunt: Otho Seprio oppi- 1287.
do res nouas molientibus obnoxio radicitus extirpato, in inuidiam, ac ſuſpicionem nimiæ dominationis venit: cui amouendæ duodecim populares in conſilium, partemq; dominationis adhibet; ſimul ad ſecuritatem imperij Turrianorum ſtudioſos in exilium agit. Inde ad conformandos clericorum mores conuertitur.

EPITOME
Libri XVIII.

ILLVD iam erat Othoni reliquum, vt tam præclarum imperium, tot laboribus, ac periculis partum in familia retineret, & tamquam hereditariũ tranſmitteret ad nepotes. Deinceps igitur Matthæum nepotem militari gloria plauſibilem admodum, ac popularem in dies magis ornare, & cùm alijs, tum vero Capitanei honore collato, Reipublicæ admouere.
1288. *Contra vero Gulielmus Marchio, qui iam pridem tantæ vrbis, atq. adeo prouinciæ regno inhiaret, Vicecomitum fortunæ omni ratione obſiſtere. cuius conſi-*
1289. *lijs illud accidit oportunum, quod turbata ciuili tumultu Papia, imploratus ab exulibus eius principatum, ceu ſequeſtrem pacis, accepit. nec multo poſt*

Nouaria quorundam proditione potitus eſt. & Mediolani inuenit Bonifacium Puſterlæum, qui patriam certa pecunia deſponderet. Sed enim huius coniuratio detecta, & de publico conſilio vindicata eſt: & de arcendo Marchione Longobardæ ciuitates pleræq. conſpirauere: & cum Aſtam fœderis ſociam ob- 1290.
ſidione premeret, Papiam aggreſſæ, digredi obſidione coegere: deniq. Alexandria, cum eò ad opprimenda coniurationis initia feſtinaret, perſuaſum, vt ſine milite, quo ferox populus irritaretur, intraret, coniecit in vincula, quibus non niſi morte ſolutus eſt. Exinde Alexandria, Derthona, Nouaria, Vercellæ Mediolano reconciliatæ Matthæum Vicecomitem Capitaneum dixere. Papia ad priſtinos rediјt Beccarias. Inter hæc claſſicum canente Pontifice ad Hieroſo- 1291.
lymitanam expeditionem adiuuandam, Mediolanenſis pubes non ſegniter arma

corripuit. Matthæus adſpiranti fortunæ
1292. *velificans, Comum ciuilibus diſcordijs agitatum occupat. Inde aduerſus Montem Ferratum mouet: eiusq. præcipuis munitionibus vi captis, totius regionis Ca-*
1293. *pitaneus inſcribitur, volente ipſo Ioanne Gulielmi filio ex fædere in eius viuere clientela, cui obſiſtere non valeret. Vi-*
1294. *carius à Cæſare in Longobardis appellatus, eum honorem non niſi annuente Senatu vſurpat. Nouam Laudem ſibi*
1295. *ſuſpectam bello petiturus, Veterem nouis operibus munit. Othonem interim ſenio confectum, quem Franciſcus Parmenſis excepit, Mediolanenſis, immo & totius Longobardæ rei non modica permutatio ſequuta eſt. Derthonam Genuenſes, ac Papienſes à nobis abſtraxerunt.*
1299. *Vercellas, ac Nouariam Ioannes Montisferrati Marchio ſuæ, ac paternæ vltor iniuriæ occupauit, & cis Ticinum progreſſus prædas egit ingentes: deniq.*

Caſalem

Caſalem auitam ſedem iniuit. Matthæus collectis interim copijs, hinc Ioannem, ac Papienſes; inde Eſtenſem, ac Cremonenſes victor exegit: & agrorum populatione, ac Mortariæ vaſtatione mulctauit. Ne tamen tanti belli mole opprimeretur, interceſſere Veneti, quos ipſe haud multo ante à Genuenſibus ingenti clade afflictos conciliata pace ſubleuarat. Non multo poſt Nouariam, ac Vercellas confligentibus inter ſe ciuibus recuperat: Philipponum Languſcum 1300.
adiuuat in obtinenda Papia: deniq. Galeatium filium Beatricis Eſtenſis coniugio, ac dominationis ſocietate promouet. Hoc tandem anno emerſit ad lucem probroſa quædam religio barbaræ libidinis, ac ſtuprorum lena, quæ à peregrinis inuecta per incuriam, ac ciuiles diſcordias adeo creuerat, vt nonniſi multorum ſupplicio, plurium dedecore repreſſa ſit. & Matthæi potentia bonis ciuibus, quam-

quam amicis, ac conſanguineis grauis
videri cœpit. Hæc inuidiæ ſcintilla bre-
1301. ui in apertum coniurationis incendium
exarſit, quo omnis eius potentia confla-
grauit. Sublato à coniuratis ſigno, &
1302. caſtris cis Adduam collocatis; tum Me-
diolanenſi populo palam deficiente, ac
veterem libertatem poſtliminio reuocan-
te, Matthæus pacem, ſalutemq. impe-
rij abdicatione paciſci, mox etiam exi-
lium, & proſcriptionem pati compulſus
eſt, æmulis in vrbe interim regnantibus,
& Turrianos in patriam, & auita iu-
ra aſſerentibus.

Digitized by Google

EPITOME
Libri XIX.

MATTHÆVS *non imperio modo, ſed etiam patria, boniſq. ſpoliatus, ſuis primum ſe, de-* 1303.
inde Alberti Scotti Placentinorum principis viribus nequidquam conatur erigere. Scottus enim ſuis æque, ac finitimis inuiſus, ſubita eorundem con- 1304.
iuratione petitus, imperium exilio permutat. Turriani patriæ reſtituti reuertenti Fortunæ ad opes, dignitateſq. velificant: delatamq. vrbi noſtræ à Romanis ſenatoriam ſedem Paganinus illorum gentilis
init: Pontificiam Clemens V. in Gallia 1305.
collocat auſpicijs admodum ſiniſtris, nec mediocri Italiæ malo. Gibertus Corrigius Parmenſibus exulibus patriæ reſtitutis, eiuſdemq. Princeps acclamatus, æmulam Rubeorum gentem exterminat: inſidijſq. appetitus Actium Eſtenſem con-

iurationis auctorem bello perſequitur. Bo-
1306. nonia impijs Guelphorum, ac Gibellino-
rum ignibus ardet vſq. ad Gibellini no-
minis cineres. nec à Legato quidem Pon-
tificis abſtinet manus, ſacris ea de cauſſa,
& liberalium diſciplinarum vſu mul-
ctata. Matthæus reditu in patriam ite-
rum fruſtra tentato, haſtis tandem abie-
ctis, Brixiæ ſedet inglorius. Scottus ſecun-
diore fortuna ſubleuatus, Placentinos ite-
1307. rum ſubijcit. Montisferrati ditio, Ioan-
ne ſine liberis denato, ad Theodorum Pa-
leologum per tabulas tranſmiſſa Opicino
Spinula Theodori nuper ſocero, nobisq.
adiuuantibus, Gallis, ac Philippo Sa-
baudo Achaiæ quondam principe fruſtra
obſiſtentibus, tandem obtinetur. Summo
humanæ vitæ commodo factum eſt, vt
flagitia, non minus quam ægritudines,
& apoſtemata, cum ſumma fuerint,
propius remedium, & quaſi maturita-
tem eſſe videantur. Itaq. FRATICEL-
LORVM,

Digitized by Google

LORVM pariter, & TEMPLARIORVM nefariæ, impiæq. libidines, quæ per ſuperiorum temporum improbitatem ſub religionis integumento eò fœditatis deuenerant, vt ipſorum non paucis pudori eſſent, atq. faſtidio, ab eiſdem proditæ nequiſſimorum capitum ſanguine eluuntur. Guido Turrianus populi Capitaneus Caſtonum, & Zanfredinum gentiles ſuos 1308.
aſſerit illum Mediolani Archiepiſcopum, hunc Parmæ Præfectum, Corrigio ab exulibus primum pulſo, deinde in aliorum ciuium ordinem admiſſo. Placentiæ Principatum diſsidentibus interſe ciuibus, ipſemet accipit, breui ab Scotto repetendum. Demum Mediolani dominationem abſolutam, nulloq. tempore circumſcriptam ambit, atq. obtinet: nec tamen diutius tuetur. Arnaldo enim Pelagura Pontificis legato Ferrariam ab iniquo in- 1309.
uaſore Venetis deditam bello repetente, Galeatius Vicecomes cum ſtrenuum geſ-

ſiſſet

ſiſſet ducem, amicitias, atq. opes contrahit, quibus Matthæum patrem priſtinæ fortunæ etiam nunc inter retia, ac ſcaphas Benaci lacus confidentem, ſi inimicorum flagitia ſuorũ magnitudinem aliquando vincerent, in aucupanda per honorificam legationem noui Cæſaris Henrici VII. beneuolentia, ac clientela adiuuet. Et Guido Turrianus Caſtono Archiepiſcopo, eiusq. fratribus ob ſuſpicionem coniurationis cum Galeatio primum in cuſtodiam, tum in exilium miſſis, Legato Pontificis per finitimos Epiſcopos edicente, ab aris, ac ſacris prohibitus diris omnibus deuouetur. Nec irritæ fuere tam horrendæ execrationes. Henricus in
1310. Italiam deſcenſurus Legatos præmittit, qui pleraſq. Longobardas ciuitates inteſtinis diſcordijs agitatas pacare, ſibiq. propediem affuturo conciliare ſtudeant. Quæ, adnitente præſertim Turriano, primum Henricum ipſum officioſa legatione

aggre-

aggrediuntur; deinde Robertum Apuliæ Regem ex Gallia euocant, qui in Pedamontanis pleriſque oppidis, tum etiam Aſtæ, Alexandriæq. exceptus, Æmilia via Romam cōtendens Ferrariam quoq. à Legato cuſtodiendam accepit.

EPITOME
Libri XX.

HENRICVS VII. *Iulijs Alpibus ſuperatis; Seguſione Italiæ aditu Romani Pontificis Vicario more maiorum fidem, & auitæ Religionis patrocinium vouet: & a pleriſq. Longobardis Proceribus, ciuitatũq. oratoribus ſalutatus, Aſtam ingreditur; vbi Matthæum Vicecomitem, & Caſtonum Turrianum Mediolani Archiepiſcopum humaniter exceptos, certis amicitiæ, ac ſocietatis legibus coniungit.*

Iam

Iam non ſuo tantum milite, ſed Italorum quoq. Principum magno comitatu ſtipatus Mediolanum mouet; ibiq. Guidone in ordinem redacto, diſcordijsque inter Vicecomites, ac Turrianos ſedatis, amicitiæ deinceps colendæ leges præſcribit. Ingentem deinde pecuniam exigit, ceu pretium pacatæ ciuitatis: & Lon-
1311. *gobardorum Regum corona inſignitus, ducentorum equitum cooptatione beneficium remetitur. Verum Turrianis, ac Vicecomitibus pariter coniurantibus, his vero mox periculi magnitudine, veteriq. Turrianorum odio Cæſarianis ſe adiungentibus, Turriani, reliquiq. Guelphi vrbe tota cæduntur, ac compilantur. qui vero Germanorum furori ſuperfuerant Turrianorum principes alij alio relegati. Matthæus quoq. & Galeatius ad eius facti inuidiam mitigandam Vrbe tantiſper decedere iuſſi, mox tanquam ab exilio reuocantur. Inter hæc Lau-*

denſes

denſes per legatos deditionem Cæſari faciunt, & tamen miſſos ab eo, qui poſſeſſionem inirent, vrbis ingreſſu prohibent: ſed denuntiato legatis ſupplicio, fidem præſtant. Cremenſes ſine mora eidem ſe, ſuaq. permittunt: Cremona aliquandiu cunctata, militum auaritiæ, libidinique deditur; pecuniaq. inſuper, & iuriſdictione mulctatur. Brixia poſt diuturnam, nec incruentam obſidionem capta exuitur mœnibus. Ab hac victoria Cæſar Mediolani quidem procuratione Matthæo Vicecomiti, Nouariæ autem, ac Vercellarum Philippo Sabaudo nomine Vicarij relicta, Genuam ducit; ibiq. honorifice exceptus, ciuitati ſacramento fidei ſibi viritim obligatæ Vicarium deſignat. tum Flaminiæ, Ethruriæq. ciuitatibus in Roberti Apuliæ Regis clientelam ſe tradentibus, Mediolanenſium ciuium, quos obſidum loco apud ſe habebat, pleroſq. comperta fide, cum honore,

Digitized by Google

ac dignitate remittit in patriam. & Papiæ, Nouariæq. adminiſtratione Philippo abrogata, Piſas nauigaturus Guernerium
1312. *Auſpergenſem Longobardiæ præficit. qui Longobardis à Cæſare deficientibus, & Cremona à Giberto Corrigio, ab Alberto Scotto Placentia occupatis, Matthæum Vicecomitem in ſocium, ac conſortem gubernationis adſciſcit: eodemq. Duce Papienſibus, ac Vercellenſibus bellum infert, quòd vnà cum Aſtenſibus palam à Roberto iam ſtabant, eius Procuratore admiſſo: Inter hæc Henricus Florentinorum, Senenſiumq. præſidijs itinerum obſcuritate deluſis, Romæ adeſt, & à Legatis Pontificis Imperij nomen, & inſignia accipit, Ioanne Roberti Regis fratre nequidquam intercedente. Inde Florentinos bello premit, Robertum Regem fruſtra implorantes; quòd eum Fridericus Siciliæ Rex, & ab Henrico immiſſæ Genuenſium, & Piſanorum claſſes aliena*

curare

curare minime patiantur. quin etiam ab Henrico Neapolitani, Apuliq. Regni exors pronunciatur. Sed Henricum magna agiantem contractus in caſtris morbus fortunæ ſubducit.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google